



Historiæ Societatis Iesv Pars ...

Ab anno Christi MDXCI. ad MDCXVI / Auctore Josepho Juvencio Societatis
ejusdem Sacerdote

Orlandini, Nicola

Romæ, MDCCX

Lib. XIV. Societas in aliis Europæ locis variè oppugnata ab anno MDXCI. ad
MDCXVI. adversarios partim æquitate mitigat, partim constantiâ &
patientiâ vincit.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-98121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98121)



LIBER XIV.
PARTIS V.
HISTORIÆ SOCIETATIS
IESU.

Argumentum & Synopsis Libri XIV.


SOCIETAS IESU in variis Europæ locis vexata
AB ANNO MDXCI. AD MDCXVI.

I. ocietatis Institutum reprehensum; præsertim quod spectat
vota simplicia in eo usurpari solita. II. Societatis fama
calumniis variè appetita. Nonnulla recensentur, ac præ-
cipuè fabula à Batavis conficta, & per Europam latè dis-
seminata. III. Ministeria Societatis interturbata, & di-
sturbata. IV. Domicilia direpta & vastata. Bohemica
tempestatis initium: exitus Polonica. V. Vita nostrorum
attentata ferro & veneno: nonnullis vi erepta. PP. Petrus
Cotonus, & Andreas Teratus à sicariis vulnerati. P. Iacobus Salesius cum Socio
ab hæreticis trucidatus. Ab iisdem necati PP. Carolus Sagerius, Nicolaus Mon-
tanus, Michael Brilmacherus, Petrus Buselinus, Orho Campensis, Laurentius
Everardus, & Martinus Laterna. VI. Varie de doctrina dimicationes.



* Att. 21.

* I. Petr. 4.

ST hoc Societatis nostræ quasi fatum ut illi ubique contradicatur*.
Sed eam consolatur præclara vox Principis Apostolorum: *Si expro-
bamini in nomine Christi, beati eritis* *. Graviores quædam pericula
& detrimenta superioribus complexi libris sumus: alia nunc profe-
quimur aut brevioribus temporis locive circumscripta spatii, aut certis duntaxat
Societatis partibus ac membris importata; vel demum exitu lætiore finita.
Ea vero in quatuor aut quinque classes, ordinis ac perspicuitatis causa, partici-
mur. Primo loco vexarum Societatis Institutum videbimus: deinde famam ejus
calumniis appetitam: tum ejusdem ministeria interturbata: postea clades domi-
ciliis illatas: denique corpora ipsa Sociorum vulneribus debilitata, ferro & ve-
neno consumpta. Integritatem doctrinæ oppugnatam in postremam classem con-
jiciemus.

S. I.
SOCIETATIS IN-
STITUTUM VE-
XATUM.

SOCIETATIS institutum edito pestilenti libro vexatum fuit anno MDXCIII.
Libri titulus & frons erat: *Historia Ordinis Iesuitici*. Edidit hunc libellum, &
suo nomine inscripsit Polycarpus quidam Leyserus, hæreticæ minister sectæ:
eundem conscripserat Eliás Hasenmullerus, qui propè biennium in Societate,
ex-

explorator veriùs, quàm novitiùs, transegerat. Cum vota nuncupandi tempus adventaret, Augustam Vindelicorum, ad Lutheranos Lanspergâ fugit, impium in ipsorum castris sacramentum diùrus. Inde Witembergam pergens, unum in volumen collegit, quæ vel didicerat à Societatis adversariis; vel è famosis libellis corraferat; vel etiam à se, dum esset nobiscum, conspecta mentiebatur. Non diù facinus inultum ganeo sceleratus tulit, repentinâ sublatus morte, inter diros animi furentis ac desperantis ejulatus. Nec deterruit ultio Numinis adeo manifesta Leyserum, quin posthumum scriptoris improbi ferum in lucem ederet. In quo licèt male consuta mendacia refellerentur ipsa per se se, tamen refutandum peculiari scripto librum sumpfit P. Petrus Stevartius, qui sacras in collegio Ingolstadiensi litteras interpretabatur; idemque non ita multo post Jacobus Gretferus erudito volumine præstitit.

Non uno tantum libello, sed famosis scriptis huc illuc disseminandis, sed habendis è superiore loco ad populum concionibus, vellicare Societatis Institutum in Hispania conati sunt alumni quidam Ordinis religiosi, quem Societas reveretur & colit. Hæc tamen vulnera reficere paremus, quæ non solum obducta sunt vetustate, verum etiam adeo feliciter sanata, ut ad firmendam inter utrumque Ordinem concordiam valuerint, eorum auctoribus ad laudandam ultro Societatis aequitatem & caritatem perductis. Eadem tempestate pars Instituti nostri gravissima non leviter oppugnata fuit. De tribus votis simplicibus agebatur; quæ à nostris tironibus fiunt cum promissione accipiendi arbitrio Præpositi Generalis, vel gradus Professorum, vel gradus Coadiutorum Formatorum: ut habetur distinctius explicatum Lib. XI.* Eadem vota nostrorum simplicia Libro XII.* nec non varii gradus ac membra Societatis fusius exponuntur. Porro istud Institutum nostrum jam inde ab anno MDLXXXII. theologi quidam oppugnaverant ac palam negabant illos, qui simplicibus ita devincti votis essent, nequam religiosos dici oportere: quin etiam posse sine consensu & injuria Societatis, ab ea, cum libuerit, recedere. Is rumor cum per Hispaniam serperet, occurrere grassanti malo Claudius Aquaviva properavit; neque Pontifex*, per spectâ periculi gravitate, moram ullam interposuit, quin de hoc propriè argumento Constitutionem ederet, quæ incipit ab his vocibus: *Quanto fructuosius*. Videbatur extinctum in ortu feliciter incendium, quod acrius ob eam, quæ dicitur modo, causam, exarsit. Rodericus de Cardenas, adolescens loco in primis nobili natus in Hispania, Societati nomen dederat, ac litteris navabat operam. Accidit sub idem tempus ut ejus frater natu major, sine liberis moriens, domum viduam, & caducam hereditatem, relinqueret. Una spes restabat afflicti parentibus in Roderico filio, natu minori. Advolat Vallisoletum pater, & per speciem consolandæ uxoris, petit à Provinciali Antonio Marcenio, ut filium sibi liceat abducere paulisper in paternas ædes. Suspiciatus id quod erat Provincialis, consultus existimavit, si mæstam matrem Rodericus per litteras solaretur. Id ægre ferens pater filium abducit invito Provinciali; eundemque paulo post exutum religiosa veste, conjugio mater illigat, quamvis infaustas nuptias conciliare parochi, cognita re, detrectassent. Interim à regio prætorum comprehensus adolescens, & Vallisoletum deductus, nobis redditur: donec parente ac filio noxam contentibus, effectum est ejus affinium & virorum principum deprecatione, ut vinculo vororum solutus, è Societate dimitteretur. Resedit nihilominus in propinquorum animis aliquid in Societatem acerbitatis, ac tacitus maror, ob inustam familiæ suæ labem, cum isti Ordinis religiosi desertores male vulgò apud omnes audiant. Id præ ceteris dolebat, & cum amico theologiæ professore, questus est aliquando amariùs Franciscus de Avila, unus è Roderici consanguineis, sacra postmodum ornatus purpura, tunc in Toletanæ civitatis templo principe Archidiaconus. Hujus marorem abstergere theologus cupiens monet, votis simplicibus, quæ tirones nostri post biennium edunt, neminem ita ligari, ut religiosus dici propterea debeat, aut impediri quominus matrimonium legitime contrahat; atque adeo nihil è Roderici fuga, & conjugio, redundarè in familiam dedecoris posse: paratum se id publice demonstrare, si dicendi fiat

Partis V. Hist. Soc. Jesu Tom. II.

G g

copia.

1.
Historia Ordinis Jesuitici à quo scripta & refutata.

2.
Vota simplicia Societatis oppugnata.

* Num. 90.
* Num. 74.

* Gregor. XIII.
an. 1582.

copia. Neque vero obstare novam, quae jactabatur, Gregorii Constitutionem, quam multis nominibus vitiosam esse certò sciret. Amicum audivit non invidus de Avila, legum ceteroqui nostrarum rudis; & quidquid in se esset auctoritatis, gratiaeque, liberaliter est pollicitus. Hac oratione, promissisque, confirmatus theologus materiam de votis simplicibus tractare aggreditur in schola sua theologica; & aditum in istam disputationem percommodum offerebat secunda pars secundae partis Summae D. Thomae, quam tunc explicabat. Multa permisit adversus Societatis Institutum & Bullas Pontificias, ac demum diserte negavit quemquam per vota simplicia religiosum effici verè posse. Haec doctrina continuo per Hispaniam vulgata, & perlata Romam est. Datum negotium Apostolico Nuncio, ut ejus auctorem graviter objurgatum coereret: simulque prodit altera Gregorii XIII. Constitutio*, Societatis Institutum, ejusque vota simplicia nominatim confirmans, Eadem causa rursus anno MDLXXXIX. Romam ad sacrum Inquisitionis tribunal, jubente Sixto V. delata; rursus adjudicata Societati fuit, & Gregorii XIII. Constitutiones duae vim suam obtinuerunt. Paucos post dies, cum proposita fuisset in academia Salmanticensi haec thesis: *In his (tribus religiosorum votis) substantia religionis consistit, dummodo solenni voto firmantur, quod fit per solam professionem in religione approbata.* Thesim Nuncius Apostolicus condemnavit. Doctores Salmanticenses à Pontifice petierunt numligeret propositam thesim in disputationem publicam vocare. Sixtus Pontifex vocari posse respondit, si adderetur haec vocula, *Regulariter*; hunc in modum: *Substantia vel natura religionis constituitur per vota Paupertatis, Castitatis & Obedientiae, quibus religiosi abstrahuntur à rebus mundanis, quod regulariter fit per professionem solennem.*

* *Qua incipit:*
Ascendente Domino, &c.

3.
Vita Societatis reprehensa, ut minus auffera.

Non ita multo post ejusdem Salmanticensis academiae doctor haud ignobilis cum in edito libro scripsisset, *Eos qui magnam caritatis perfectionem assequi desiderent, oportere etiam plurimum crucis amplecti*: religiosorum hominum Institutum carpebat, *in cujus professione & Constitutionibus minor austeritas invenitur, quantumlibet illa religio finem excellentissimum, vel contemplationis, vel salutis animarum, profiteatur.* Quibus verbis haud ambigue vellicabat Societatem, quae nullas graviore corporis afflictiones lege certa praescribit, quamvis det suis facultatem eas usurpandi, quae ad fovendam augendamque virtutem, ipsis convenire, cum bona moderatorum suorum venia, videbuntur; & moderatoribus, eas imponendi, quas expedire censuerint. In quo dici vere potest, alumnos Societatis freno, ut dicitur, magis, quam calcaribus, semper indiguisse: quemadmodum ex annalibus nostris patet. Idem doctor theologus aliquanto post, cum prodiiisset Suavis nostri secundus in tertiam D. Thomae partem tomus, in quo docet ex mente doctoris Angelici, *non oportuisse ut Christus austerum vitae genus profiteretur*; id in se jactum credidit: quare in molliorem doctrinam Societatis, ut aiebat, & vitam, occultè est investus, eoque argumento litterarum quaedam in vulgus tunc emanarunt; quas serius ad se perlatas, non nisi anno MDXCIV. Suares contrariis litteris, ad Nuncium Apostolicum datis, copiosè refutavit.

§. II.
VENATA SOCIETATIS FAMA.

4.
Fabula de percussore à Jesuitis in Comitè Nassavium immisso.

INFINITUS sim, referre si aggrediar singillatim calumnias & commenta, quibus appetita per istos quinque & viginti annos fama Societatis fuit. Unum alterumve exempli loco ponam. Insignis fuit anno MDXCVIII. Europamque omnem implevit à Batavis inventa & promulgata fabula de immisso à nobis ad interficiendum Comitè Nassavium sicario. Narrationem ipsius facti, ut exponitur in sententia contra fictum hunc percussorem à iudicibus, Lugduni Batavorum lata, & saepius in lucem edita, referam; deinde rem, uti planè gesta est, exponam. Opifex, inquit, Iprensis (Petrus Pannium vocant) solebat annonam domesticam collegio Duacensi Societatis Jesu providere. Hunc ut de re quam ad eandem annonam spectante admoneret, profectus est Ipras diebus paucis ante Bacchanalia Melchior à Valle, Patrum Duacensium famulus, cum ipso Pannio affinitate & necessitudine conjunctus. Sed cum Petrus Pannius domi non esset, ejus uxori Mariae Buvetsae, mulieri valde pia, ac Societatis studiosae, consilium necandi Comitè Mauritiæ clam, & per ambages, indicavit. Hoc idem

reverso domum Pannio clarè, ac sine ambagibus aperuit: facinoris utilitatem proposuit, quo patrato repente dives ac beatus evaderet; nec dissolveret modo alienum as, quo graviter premebatur; sed vitam commodis omnibus affluentem viveret. Cunctantem uxor incitavit, nihil in homine uno perdendo sceleris esse dicitans, qui tot animas quotidie perderet. Petrus tamen facti atrocitate percussus, neutri adhuc assentiebatur, & Melchior à Valle Duacum revertens, id unum ab eo exoravit, ut Patres Societatis Duacenses consuleret, nec dubitaret amplecti quod suaderent. Promisit. Duacum Ipris venit, iis diebus, quos vulgo ferias Rogationum appellant. Patres, Provinciam, Præfectum, & collegii Rectorem, alloquitur. Ab iis ter, quaterve, adhibetur ad mensam; duas supra, quinquaginta libras Flandricas accipit. Sic eum nullo negotio ad Mauritii eadem impellunt: hortantur ut pergat in Hollandiam, artem doliarii consuetam exerceat, capet occasionem rei conficiendæ, diu nocturne, domi vel foris; coemat sclopetum, & caligis inserat; facinore patrato modum evadendi quærat. Quo magis hominem confirmet Provincialis, oratione proluxa docet quanto donandus à Superis præmio sit ob heroicum facinus, in quo emori nemo catholicus ingenti lucro non apponat: illum immortalis gloria, illum sempiterna felicitate munerandum: nec animam ejus tantum, sed ipsum corpus cælo statim inferendum. Spem futuræ mercedis cumulat præsentibus donis: tradit syngrapham, ex qua sumat Antuerpiæ duodecim libras Flandricas, à Francisco Thibaldo, cujus domus vicina cœnobio Dominicanorum. Adhæc, nummorum ingentem summam ipsimet, re perfecta, numerandam; opimum filio beneficium Ecclesiasticum, canonicatum Tornacensem, spondet: postremò sacræ confessionis & Eucharistiæ sacramento, ut certissimis pignoribus, fidem ejus quam arctissimè obstringit. His omnino confirmatus Antuerpiam se confert. Ibi pecuniam in syngrapha designatam accipit, ac X. Kal. Jun. Lugdunum Batavorum ingreditur. Conturbatus imagine sceleris, dum trepidat, comprehenditur, in carcerem conjicitur, confitetur omnia ultro, rogat veniam, funesta consilia damnat, demum diebus decem ac pluribus interpositis, eadem affirmare constanter pergit. Non sunt arbitrati iudices (hæc perscriptæ sententiæ clausula est) ullum in tanto scelere lenitati locum esse: ac pestilentem Jesuitarum sectam execrati, exemplum edere statuerunt, quo admonerentur omnes, ut ab hominibus tam nefariis caverent. Itaque infelix Pannius capite plexus; dissectum in partes quatuor cadaver, & ad portas urbis suffixum est.

In hac narratione tametsi omnia minutatim recensentur, quod valet ad faciendam imperitis fidem, multa nihilominus adhuc omittuntur, quæ nequaquam erant prætereunda. Nimirum quis esset ille Pannius explicandum erat; quam dignus cui fides tam tetra proferenti, nullo teste, nullo argumento, haberetur. Poterant adjuncta rei, loca, tempora, conferri; & alia id genus conquiri testimonia, unde veritas eruitur. Nihil horum. Sed quod ab adversariis omissum est, veritatis metu, hoc ejusdem veritatis studio, à nobis diligentissimè curatum fuit, ac rescitum primò quidem isto Petro Pannio nihil fuisse levius, nihil scurrilius; profusum nepotem, ebrietati, ac nequitia deditum; impium, sacrilegum, & religionis verè contemptorem extitisse: mentis denique parum sanæ. Deinde vero singula narrationis capita fuerunt excussa, & eorum falsitas deprehensa testimoniis, & litteris publica auctoritate perscriptis, civitatum Iprensis, Antuerpiensis, Montensis, Duacensis, & Bruxellensis, quæ in Latinum sermonem è Teutonico, Gallico, & Brabantino, conversa recitantur in libello qui *Sica Tragica* inscribitur, primùm edito Germanicè à P. Francisco Costero: tum Latine à P. Ægidio Scodoncho, anno MDXCIX.

Prætor, senatores, & consilium civitatis Iprensis, denunciant, post adhibitam omnem in inquirenda veritate diligentiam; post interrogatos, modò conjunctim, modò separatim, & jurejurando adstrictos testes idoneos, compertum sibi esse, neque Mariam Buvetsam, neque Melchiorem à Valle, ullum unquam de isto necandi Mauritii consilio, vel inter se se, vel cum Petro Pannio sermonem habuisse: Melchiorem hunc à Valle, neque affinitate cum isto Petro conjunctum,

5.
Narrationis
fictæ falsitas
demonstratur.

neque famulum Patrum Duacensium existisse. Lignarium esse fabrum, Ipris cum uxore & familia commorantem: qui Duacum biennio toto non viderit, neque profectus eò sit circa Bacchanalia anni MDXCVIII. sed tantum IX. Kal. Quint. neque Duacense collegium ingressus fuerit unquam, nisi semel, ante quinquennium. Quæ singula frontibus adversis pugnant cum Batavica facti narratione. Docent iidem Iprenses suis in litteris Mariam Buvetsiam adeo non studiosam fuisse Societatis, quemadmodum narratur, ut nunquam apud Patres peccata deposuerit; nec eorum sacram ædem frequentarit. Ejus vero maritum Petrum Pannium non fuisse solitum annonam ullam domesticam collegio Duacensi procurare, aut quidquam commercii cum illo habere: idque non modo ex ipsa ejus vidua cognitum, sed multo magis ex accepti & expensi codice ipsius Pannii, quem à se accuratè inspectum iidem prætor Iprensis, & senatores testantur. Postremò describunt totum nebulonis iter ab ineunte Quadragesima, cum domo discessit, usque ad X. Kal. Quintiles, quo die supplicio est affectus; & hominem ipsius vestigiis persequuntur, corrogantem quicquid posset à debitoribus, quod statim in pocula, & alia flagitia, effunderet; ubique æs alienum contrahentem, idque cum dissolvere non posset, semel iterumque in vincula conjectum.

In eadem narratione dicitur à Batavis Pannius venisse Antuerpiam, ibique certam pecuniæ summam sumpsisse à Francisco Thibaldo, è syngrapha ipsi per Patres Duacenses data. Prætor, consules, senatores urbis Antuerpiensis, habita quæstione, declarant id omnino falsum esse, neque Thibaldum, aut syngrapham hanc vidisse, aut ex ea pecuniam Pannio dedisse. At, quod accusatores jugulat, senatores urbis Duacensis, Rector & Universitas ejusdem civitatis, testibus auditis, & examinatis, pronunciant P. Oliverium Manareum, Provinciale, quicum locutus feriis Rogationum Petrus Pannius affirmatur, non fuisse Duaci per eos dies. Tribus totis mensibus antea egressum Duaco, & à X. Kal. Maii ad V. Nonas Maias Bruxellis visum, conventum, auditum fuisse, senatores & consilium urbis Bruxellensis suis litteris testificantur. Rectori vero collegii Duacensis, P. Philippo Frumaldio nunquam, ne per somnium quidem, cognitus Pannius fuit. Piget alios Batavæ sententiæ locos excutere, quorum ineptias & falsitatem facile quisque persentiscit. Tale est illud, quòd inducunt Patres Duacenses hortantes Pannium ut minorem ferream fistulam coemat, eamque caligis inserat. Viderunt postea rem facilius confici sic potuisse; itaque percussorem in excusa imagine pugione armaverunt. Deinde, quam obesa naris bonos illos Patres esse oportuit, qui rem tantam committerent servo inchoandam, tractandam feminæ, perficiendam stulto? Istud etiam ineptius, quod auctores Pannio fuisse dicuntur, ut effugium quæreret patrato facinore, neque se comprehendi, aut necari pateretur. Tum, quòd pollicentur ipsum, & animam, & corpore, ad Superos evoluturum. Rursum, quòd promittunt Tornacensem canonicatum Pannii filio, qui puerulus vix alterum à decimo annum excefferat. Ruunt similiter illa omnia quæ de confessione facta Patri Provinciali, de porrecta sacrosancta Eucharistia, de jurejurando detestabili, comminiscuntur; siquidem P. Provinciale Duaco tunc abfuisse probatum est.

6.
Rei gestæ vera
narratio.

Jam, ut falsitate demonstrata, quid veri lateat in hac fabula ostendamus, ita se res habuit; quemadmodum ex hominibus probis, sapientibusque, rescitum est. Cum Petrus Pannius, post illos errores, & concursationes, quas retulimus, Lugdunum Batavorum esset ingressus, quærere coepit ab iis qui sedebant pro porta, sive innata levitate, seu vino madidus, ut solebat; ubi esset Mauritius, equando venturus? respondentibus nescire se, Qui fieri potest, inquit, ut id ignoretis, quod Bruxellis nemo nescit? His auditis capitur, minæ intentantur, interrogatur quid agatur Bruxellis, quid de Mauritio cives cogitent, num quis illi struat insidias? Trepidantem urgent, adiguntque, ut dicat cives duos primarios Bruxellenses in Mauritii necem conspirasse. Societatis hostes putarunt oblatam sibi præclaram occasionem totum istud crimen in eam derivandi. Ergo prætermittis illis, quos à Pannio nonnulli cupiebant accusari, civibus, eundem perducunt, ut dicat se à Patribus fuisse submissum ad inferendam Mauritio necem.

Eli-

Eliciunt nullo negotio quæcumque ad coagmentandam fabulam opus erant, promissa incolumitate & libertate. Qua spe lætatur plura etiam dixit, quam rogabatur. His peractis, ne detegi falsum posset, capite miserum damnant. Qui ubi vidit sibi ademptam vitæ spem, revocavit omnia quæ de Patribus Societatis falso dixerat. Vocem, secto capite oppresserunt. Hæc paulo fufius libuit exponere, propterea quod hac fabulâ, & Batavorum judicum sententiâ, tanquam certissimo telo, Societatis nostræ nomen scriptores malevoli vulnerare non semel conati sunt. Illustratâ commentariis, seu potius commentis deformata, variis temporibus locisque prodiit. Gaspar Grevinchovius, minister Roterodamensis, in pestilenti, quem contra catholicam Ecclesiam edidit libro, integram sententiâ recitat, utque novi aliquid dicat, quod judicum aciem fugerit, Patrem Provinciale, quo impulsore susceptum ait sacrilegum nefas, vocatum Jacobum Colemium affirmat. Quid hoc sycophanta facias, aut quid illis credas, qui tam impudenter mentiri non dubitant? Ex quo Societas in Belgium pedem intulit, nullus è Societate fuerat hoc nomine, multo minus Provincialis. Qui tunc Belgicam Societatem administrabat Oliverius Manareus vocabatur. Alios qui præiverunt, vel qui sunt consecuti, appellare, si esset necesse, possemus. Hæc ab illis tam putide conficta esse nemo mirabitur qui alia ejusdem generis pleraque meminerit. Unum ex illo depromam acervo, & similitudine facinoris & ipso tempore proximum. Anno MDXCVI. finxere duos è Societate percussores ingenti pecunia incitatos à Romano Pontifice in eodem Belgio, ut Elisabetham Anglorum Reginam è medio tollerent. Appellabant eorum nomina, Hieronymum Tavernerium, & Antonium Rosum; patriam declarabant: litteras etiam ostendebant Pontificias ad eos missas Antuerpiam: denique summam pecuniæ datam iisdem ad iter Anglicanum numerabant. Constat nullos de Societate in Belgio tunc fuisse, quibus id nomen esset. Litteras Pontificis tam insulsè scriptas proferebant, ut moverent risum*. Sed interim popellus in Jesuitas & catholicos incenditur; os illi sublinitur impunè. Id unum volunt.

Hanc de Pannio fabulam avidè arripuerunt in Gallia Calvinistæ, postquam Henricum IV. ad avitum, hoc est, catholicam religionem revocatum, id sententiam agitare, ut Societatem Jesu, Lutetia & aliis quibusdam urbibus Galliæ ejectam, in regnum Christianissimum restitueret. Nihil invenere præsentius ad eum ab hoc deducendum consilio, quam fabulosam hanc narrationem. Utque hoc telo Regis animum ferirent acrius, imaginem editæ anno MDXCVIII. narrationi præfixerunt, quæ strictum pugionem exhibebat, tanquam à Jesuitis in Principum perniciem expeditum. Perculit Regem hæc imago; necdum enim satis fuerat nobis otii ad conquirenda testimonia & argumenta, quæ modo protulimus, unde mendacii tam insolentis dementia coargueretur; idque præsertim in mora fuit, cur Henricus Societatem tardius restituerit, ut Libro XII. retulimus*. In Gallica tamen facti hujus narratione quadam fuerunt aliter scripta, quàm in Batavico exemplari habentur. Nam P. Præfecti nomen, quod irreplebat in Batavum exemplar, prudenter omissum est. Desiderantur in eadem hæc verba: *conservatio Christiana reformatæ religionis, ad excutiendum Hispanæ tyrannidis dominium*: & alia nonnulla, quæ Gallis haud placitura putavere. Nullam quoque faciunt de Pannii poenitentia mentionem, quem Batavica sententia diserte ait flexisse animum, & sceleratum consilium exhorruisse. Iidem Calvinistæ Galli, Batavis istis paulo subtiliores, nihil habent de Provinciali, & Rectore Duacensi, fortasse quia Provinciale tunc Bruxellis, non Duaci, fuisse cognoverant. Aiunt igitur duos homines Societatis, obviam factos Pannio, hunc ad suscipiendum scelus acriter instigasse. Illis facile credidisse Pannium, & ad immane facinus patrandum subito se accinxisse. Paulo commodius explicant quemadmodum captus postea, & in jus pertractus fuerit. Addunt inventas in ejus pera litteras, è quibus arcana Societatis consilia patuerint. Mirum Batavos judices id ignorasse! Potuissent uno isto litterarum artificio pleraque mendacia, in quibus deprehensi turpiter sunt, occultare. Denique sclopetum Pannio non tribuunt, sed sicam quadrifidam. Hanc narrant ab ipso, cum est comprehensus, abjectam in eum locum fuisse, ubi

* Aliud exemplum vide Lib. XIII. n. 87. 148.

7.
Eadem fabula à Calvinistis Gallis reformatæ.

* Num. 41.

à nemine reperiri aut cerni potuerit. Illam tamen in limine narrationis, quem admodum antea dixi, pinxerunt adeo affabrè, ut non solum eam vidisse, sed fabricasse merito censeantur. Si me audiunt, cum fingent aliquid, dabunt operam ut, si non vera, saltem propiora veris, dicant.

8.
Calumniæ quædam convictæ & compressæ.

Ex eadem mendacii officina prodiit in P. Franc. Sulgacum, egregium concionatorem, ab hæreticis eodem anno MDXCVIII. conjecta calumnia, Claudio-poli. Hac in urbe cum ægotantem matronam invisisset, adjuncto qui ab ejus latere conspectuque nusquam abscesserat, comite (hoc enim solenne nostris hominibus, & legibus Societatis sanctissimè cautum est) turpissimam de illo fabulam ofores pudicitia non minus, quam religionis, evulgarunt. Calumniam vita Paris, & notus matronæ pudor, satis refellebant. Nihilominus Claudio-poli-tani rector collegii P. Majorius, ne adversariorum telis pateret impune nostrorum innocentia, judicium rite institui voluit. Citati auctores turpis commentum quatuor, nihil nisi castum & sanctum sibi de Patribus compertum esse jurati affirmarunt. Pari prudentia sapientissimi Venetæ Reipublicæ senatores impudentis sycophantæ audaciam retuderunt. Miles haud ignobilis scripserat ad Senatum iniri clam consilia de Brixiana urbe tradenda Regi Catholico. Seriem consilii, & modos exponere, auctores clarè non appellabat, hortabatur duntaxat Rempublicam, ut caveret ab hominibus Societatis, tanquam ab Hispanorum stipendiariis. Senatores evocant hominem, attineri jubent. Collegium Brixianam, ac singulos Patres explorant, & scrutantur accuratissimè: indicia data expendunt. Quæ postquam falsa & inania esse cognoverunt, conjectus est in custodiam delator improbus, & confessio crimine, strangulatus. Leviori pena, nec dissimili prudentia, obtrectatorem biennio ante coercuerat cœnobii moderator sapiens, in Hispania. Dicebat ad populum anno MDXCI. in primario urbis Valentinae templo orator sacer è religiosa familia. Is, ante Dominicam à Pentecoste sextam decimam, auditores admonuit, ut frequentiores solito convenirent, ea se dicturum, quæ illos audivisse non pœniteret. Adsunt frequentissimi. Concionator, injecta inter dicendum de Sinis & Japonibus mentione, multa jactavit adversus Societatem & nostros sacerdotes, qui lumen Evangelii per istas regiones barbaras magno labore spargebant. Eorum porro, quæ diceret, auctorem locupletissimum laudabat religiosum virum, nuper è Philippinis insulis appulsum, cum litteris Episcopi partium illarum, quibus hæc omnia planissimè confirmari afferebat. Obtrectationem intempestivam agrè cœtus omnis accepit: ægerime omnium Archiepiscopus, qui à P. Villalba Provinciali nostro certior factus, oratorem antea curaverat commonendum, ut nihil iniquius proferret in Societatem. Quæstum subinde malo remedium. Nihil visum est opportunius, quàm ut Ludovicus Pratus, Societatis sacerdos, qui Dominica sequente verba facturus erat in eodem templo, calumniam pro concione depelleret. Huic Villalba certas voces quas recitaret, exaratas scripto, meditataeque, tradit. Eas cum fide orator inserit concioni, veritatem aperit, obtrectatorem ipsum non appellat. Placuit omnibus hæc moderatio, & animos plane demeruit. Gerebat per id tempus in eodem Valentino cœnobio Commissarii, ut appellant, munus vir singulari prudentia, nec sui Ordinis, quàm veritatis & caritatis, amantior. Ille concionatorem suum, cognita re, statim à concionandi munere depulsum conjicit in custodiam. Appetente sacra Divo Francisco die, oratorem è Societate petit, qui panegyricam pro more orationem habeat: ad extremum invitat Provinciale, ut eum delectis è collegio Sociis, in cœnobio cibum die condita fumere ne gravetur. Gratis sub prandium Deo persolutis, ipse consurgens, & ad suos conversus, multa de Societatis laudibus dixit, multa de consensione & caritate, quæ religiosos Ordines sanctissimo devincire nexu debet. Proinde (subjicit) Sanctæ Obedientia nomine jubeo, & anathematis latae sententiæ poenâ delinquentibus constitutâ veto, ne quis vestrum simile quidquam in posterum audeat. Sic restituta in integrum fuit pristina concordia, datumque exemplum, quod cœnobiolorum rectores sequantur. Qui secus faciunt, ostendunt se suorum delicta vel emendare non posse, vel nolle; quorum alterum imbecillitatis, alterum pravitatis est.

Peri-

Periculi plus fuit Cæsaraugustanis Sociis ab unius alteriusve nostrorum sermone incauto, quam Valentinis ab istius oratoris invidiosa concione. Conscripterat Philippus Hispaniæ Rex numerosum exercitum: qui cum in Gallias mittendus putaretur, aut in Belgium, repente in Aragoniam perductus, & Cæsaraugustæ admotus est, Hinc populi tumultus, & procerum querela, conclamantium regni Aragonii jura, ob exercitum in suos fines inductum, violata, Extemplo Villalba, provinciæ præpositus, nostros admonet, caveant ne cui vel ob studium patriæ, vel per imprudentiam, aliquid perperam excidat; ac ne suum quidem de istis rebus judicium verbo vel facto significant. Satis illis esse, si pacem à coelitibus expolcant, & populum ad præstandum regi magistratibusque obsequium cohortentur. Eandem in sententiam ad illos Roma litteras Aquaviva dedit. Fieri tamen haud potuit (adeo difficile est *in verbo non offendere* *; adeo multorum in nos intentæ aures oculique sunt!) quin exciperentur voces aliquorum è nostris, & in regiam deferrentur, sive parum prudenter prolata; sive in pejorem detortæ sensum, ut existimare licet ex eo, quòd illos è Sociis qui erant delati, Rex audiri jusserit: deinde suspicione omni, & periculo solutos, Cæsaraugustam, unde amandati fuerant, revocari, si Provinciali videretur, voluerit.

Graves, at sibi salutares, in urbe Insulensi pœnas ultori Deo dedit Societatis obtrektor, & illius olim desertor, parochus ædis sacræ D. Mauritii. Hanc parocciam commendatione nostrorum, qui nonnunquam ignotos incauti provehunt, adeptus erat. Sed creditum est, si obstringeretur beneficio, fore ut se utilem Ecclesiæ, Societati non iniquum, præberet. Spem fefellit. Statim in nos invehi clam, palamque, cœpit: contumelias & probra jactare; nullum denique locum male, tum dicendi, tum faciendi, prætermittere. Linguam impotentem Deus compefcuit, quam nulla vel ratio, vel obsecratio frenare poterat. Vocem subita ravis, faucibus intimis illapsa, penitus obtudit; adeo ut non modo proloqui de superiore loco quidquam posset, sed ne inter familiares quidem audiri. Manebat animus tamen adhuc odio imbutus capitali: & nostro factum commodo discitabat, quòd vocem mittere non posset. Pertinaciam vesanæ mentis gravior pœna fregit. Obstructæ fauces pervios omni cibo meatus negaverunt: pauca lactis guttulæ per vim instillabantur. Tribus annis longo in cruciatu ductis, enectus fame artus febris invasit: qua demum consumptus interiit. Diebus tamen ante obitum quindecim, caligine deterfa, nos & se respexit. Misit qui collegii rectorem evocarent; complexus accedentem, retexuit quæcumque dixerat feceratve contra Societatem; testatus palam velle se ut pro indictis & infectis haberentur. Cumque sodalitatem B. Virginis potissimum fuisset infectatus, in hanc adscribi moriens voluit, & à sodalibus amplius ducentis elatus est. Morienti civitas majorem habuit, quam viventi, fidem: plusque Societatis famæ profuit languida illa & intermortua vox, quam jactata plenis faucibus convicia, & virulentæ conciones obfuerant. In objectandis Societati nimis opibus versata non semel est, nec sine secunda multorum admurmuratione, obtrektatio. Ejusmodi calumnia sæpe ad Henricum IV. Galliæ regem delata, ut libro XII. docuimus *, ab eo plena falsitatis & invidiæ comperta est. Eadem querelæ ad Philippum II. Hispaniæ regem perlata, Aiebant Societatem ditescere, præsertim in Belgio, majorem in modum; brevi nihil superfuturum, quod Rex elargiri bene de publica re meritis posset. Philippus sanctiori consilio Belgii dat negotium uti de accusatione cognoscat. Senatus, re diligenter investigata, expensis domorum nostrarum veltigalibus, scripsit ad Regem, *Societatis census infra necessitatem esse*. Imo egestatis nostræ levandæ vias indicavit Regi: & quasdam alias Philippus ipse addidit. Ne regia benevolentia fueremur, per nonnullos, quos hic appellare necesse non est, stetit. Eadem in Indiis querela instaurata est anno MDXCVI. & foeda nundinatio mercatusque nobis objectus, de quo dicendi commodior locus erit, cum de Japonicis rebus disseremus. Rursum redintegrata fuit anno MDXCIX. & quidem eo gravius, quòd à nobis occupata per malas artes bona dicebantur, quæ fisci erant. Prorex conficiendum curavit indicem accuratum rerum omnium quas in India Societas possideret. Subductis rationibus non modo detecta mala

obtre-

* *Epist. Jacob.*
c. 3.9.
Castigatus obtrektor Societatis & emendatus.* *Num. 64. 69.*

obrectatorum fides, verum etiam admirabile est visum, quo pacto tam modicis vectigalibus tot ali collegia, tot sustentari missiones possent, præsertim cum lucri nihil è suis ministeriis facere Societati liceat.

§. III.
VEXATA SOCIETATIS MINISTERIA,

10.
Patavini collegii scholis illata clades.

SATIS non fuit adversariis Societatis, ejus Institutum carpere, famam calumniis, fictisque fabulis deterere: conati præterea sunt non semel nostra interurbare ministeria; scholas in publicam apertas utilitatem occludere: pia sodalitia, & alias exercitationes sacras profligare. Florebat in Italia collegium Patavinum: id exitio illi fuit. Erat in eadem urbe academia vetus ac nobilis (Universitatem, seu collegium Bovis vulgò vocant.) Ejus professores quidquid auditorum ad nos confueret, detrahi sibi, cum parte bona dignitatis & commodorum, existimarunt. Ceteris ingenio, nec audacia minus, anteibat Cæsar Cremoninus, philosophiæ professor. Is publicas, ut aiebat, academiæ adversus Societatem querelas ad Venetorum Principem deferendas suscipit, utque legatio ad Reipublicæ senatum decernatur postulat. Repugnabant acriter ex eadem academia non pauci, cum dicerent, si collegium Societatis id quod moliebantur philosophici academici, tolleretur, detrimenti plus ad ipsos, quam emolumentum redditurum. Quandiu patèrent multæ ac diversæ studiosis litterarum adolescentibus scholæ, tandiu professorum diligentiam accensum iri; tum, ut auditores suos retinerent; tum, ut ne ab alterius collegii magistris vincerentur. Potestatem verò eligendi doctoris quem vellent, concessam alumni omnibus Patavinæ academiæ, & veteri decreto sancitam, ostendebant. Rejici Societatem non posse, nisi quia vel nullum docendi jus haberet, vel pejor ejus doctrina esset, aut solutior vita, aut erudiendi ratio deterior; vel denique, quòd per malas artes ab academiâ Patavina discipulos abduceret. Quæ omnia longe secus esse demonstrabant. Ea licet vere dici viderentur, nihilominus evicit Cremoninus, favente præsertim Petro Alzano Jurisperitorum rectore, ut legatio decerneretur. Ambo cum aliquot amicis Venetias contendunt. Philosophorum Patavinorum postulata paucis Alzanus in Senatu Veneto; eadem fusc Cremoninus exponit oratione meditata, quam postmodum editam Latine vulgavit. Eam Societatis adversarii multis laudibus extulerunt; refutarunt plerique alii, quorum responsa in manibus sunt. Postulatorum caput hoc erat: collegium Societatis Patavinum furtim inductum civitati atque academiæ damnosum esse. Res in Veneta curia primum ad eos senatores defertur, quibus academiæ Patavinæ cura commissa est (Reformatores appellantur.) Apud illos pro collegio conservando dixerunt Zacharius Contarenus, Leonardus Donatus, Sanutus & Guffonus: omnium acerrimè Augustinus Nanius.

Docuit ejusmodi querelas antea sapius ab academiâ Patavinæ professoribus decantatas: iis abundè responsum fuisse. Non invasisse Patres docendi munus; sed à Principe Francisco Donato, ac Republica olim accepisse*. Patavinam academiâ ab Imperatore quidem Federico fuisse conditam, collegium vero Societatis ab Andrea Lipomano, Patricio Veneto*: ac proinde Venetorum interesse illud impensius tueri, tanquam suum. Admissos non fuisse Patres Societatis Jesu Patavium, nisi ea conditione, ut Instituti sui uterentur legibus, & privilegiis fruere: litteras Pontificias, quibus aliquid ipsis beneficii, aut privilegii conceditur, *alieni Principis* litteras dici, & repudiari ab iudicibus catholicis, in ejusmodi causa, non posse. Nihil eos emolumentum è molesto docendi labore ferre; non opima consequi stipendia & munera, quæ professoribus academicis, bonâ cum omnium veniâ, capere atque ambire sane fas esset. Neque vero ab illis abduci adolescentes ab urbani gymnasii scholis; imo provideri ne iisdem, quibus Bovis professores, horis docerent, adeo ut eorum auditores scholas academiæ adire possent, earumque professoribus operam, si vellent, dare. Injecit etiam metum, ne Societas Patavio depulsa, collegium in aliquam civitatem vicinam, cum detrimento Patavinæ academiæ, transferret. Ad extremum oravit Principem, ut suum, & Senatus amplissimi, beneficium tueretur; ut alterum (sic enim appellabat) oculum Patavii conservaret; ut insontes à calumnia defenderet; neque Societatis professores pateretur, pro susceptis laboribus indignissimam poenam subire, qui non modo avita possessione non depellendi, verum etiam, si ab-

* Anno 1548.

* I. Parte Hist. Soc. lib. V. n. 11.

essent; ultro adsciscendi præmiis ingentibus propositis, & invitandi, viderentur.

Hæc ubi Nanius in Reformatorum confesso peroravit, altercatio nonnulla consecuta est: mox ore uno decernunt omnes, Patavinum collegium rectè ac legitime fundatum videri: pergerent Patres, uti cœperant docere, ac solita obire munia: viderent modo, ne à suis auditoribus ulla turbamur occasio existeret, neve ipsimet justam academicis ansam expoſtulandi darent. Hoc decretum rite conditum, ac perſcriptum, ad Rogatos delatum est *. Rogati nuncupantur selecti è Veneta curia certarum, quæ ad publicam rem pertinent, causarum cognitores. Ab his confirmanda Reformatorum sententia erat, ut vim suam obtineret. Subito exortus aliquis, invidiosa oratione sic animos conturbavit, ut numero suffragiorum victa Societatis causa fuerit. Non defuere, qui nimiam nostrorum in hoc negotio fiduciam, vel incuriam potius, accusarent: qui, cum debuissent insidiosas adversariorum coitiones prospicere, antevertere consilia, circumire senatorum domos, viritum edocere iudices, purgare calumnias, & eas voce privatim, scripto palam, refellere; bonas id genus artes malis artibus objicere, sedebant interim in museis otiosi, aut pacem Superos ad aras exposcebant, parum memores Ignatiani effari, quo volebat vir consultissimus humana præsidia in gerendis negotiis sic adhiberi, quasi in iis reposita spes omnis foret; rursus, ita Dei ac Superum opem implorari, & ab ea una successum expectari, ut si nihil omnino in rebus humanis esset præsidii. Nec laudata nihilominus non est æquitas animi ac modestia, qua rector Patavini collegii ministro publico, decretum senatorum Veneti ritè significanti, placidissimè respondit se ac suos in Reipublicæ potestate semper fore: ac sine cunstatione ulla, non philosophicam tantum scholam, de qua potissimum orta lis erat, sed alias quoque inferiores, de quibus nihil nominatim in decreto perſcriptum habebatur, & quas idcirco servari posse cives primarii affirmabant, oclufit. Sane adversarios exarmavit ista moderatio, qui trepidatione nostra & mæore frui cupiebant. Eorum etiam plerosque, ubi refrinxit statim invidia, facti poenituit, & anno MDXCVI. de restituendis scholis actum diligenter à civitate, inventumque temperamentum quo professoribus Universitatis latisferet. Cremoninus interim liberas docendi quæ vellet, quasi habenas nactus, eo prorupit, ut animam humanam morti obnoxiam esse tradiderit. Alzanus graviores pœnas luit. Dum enim paucis post mensibus digladiatur cum aleatoribus, quippe armorum æquè perite tractandorum, ac litterarii styli gloriam sibi arrogabat, ab iis confossus occubuit.

Non dissimilis altercatio Societatem inter & academiam Lovaniensem contigit anno MDXCV. In quatuor duntaxat gymnasiis publicis philosophia tradebatur Lovanii, eaque non tota, sed partes ejus tantum duæ, Logica scilicet ac Physica. Iis ut reliquis adderemus orabant cives, nec pauci academici. Dolabant plerosque adolescentes Duacum, ubi philosophiam integram docebat Societas, confugere. Eadem erat mens doctissimi Antuerpiensium antistitis Lævini Torrentii, ab eoque certum stipendium ad alendos philosophiæ professores fuerat collegio Lovaniensi Societatis attributum, ea lege ut omnes omnino partes philosophiæ doceremus Lovanii. Neque res vetabat ulla quominus illustrissimo Præsuli morem gereret Societas, ac philosophiam integram traderet, cum id ipsi per Pontificia & regia privilegia liceret. Est autem id legibus nostris cautum, ut gratis doceamus; quod etsi utilitatis publicæ studio facimus, iis tamen professoribus placere non solet, qui honestum è docendi labore quæstum parant. Vident enim illas maximè frequentari scholas, in quibus gratuita doctrina, & inempta, traditur. Itaque Lovanienses academici philosophiæ suæ solitudinem formidantes, graviter cum Antuerpiensi præfule queruntur: & missa legatione, cujus dux caputque Henricus Cuyckius, conantur illum deducere à suscepto consilio. Cum perſtaret in sententia præsul, egerunt cum eo ut certis conditionibus res tota transigeretur. Stare illis Facultas Artium recusavit. Delata causa est ad Consilium Brabantinum, à quo propositæ conditiones æquissimæ, & regio diplomate confirmata. Assenserunt Universitatis partes præcipuæ; sola, ut prius, Facultas Artium dissentit, quamvis causæ judicium Consilio Brabantino, tanquam *judici suo com-*

* Die 23. Decēb. 1591.

II.
Philosophiam
Lovanii docere
vetatur Socie-
tas.

potenti, ut aiebat, permisisset. Imo graves ad Præpositum Generalem Societatis, & ad ipsum Pontificem querelas detulit, quasi Patres Lovanienses regio freti diplomate, privilegia per Sedem Apostolicam Academia Lovaniensi concessa tentarent convellere, Academia ipsâ, sic enim scribebant, universâ reclamante. Id Henricus Cuyckius in Belgio clam; id palam Gerardus Vossius, Academiae procurator ac patronus, Romæ jaëtabat: cum tamen Patres Apostolico privilegio*, à Rege pridem admisso, in Academia nuperrimè recitato, & ab omnibus ejus ordinibus, præter unum, approbato niterentur. Pontifex, rebus, ut falso narrabantur, auditis, Aquavivâ significat placere sibi ut Socii Lovanienses incepto desistant; jam enim initium docendi fecerant. Illos contrâ regius Belgii senatus jubebat pergere, tresq; de suo cœtu proceres Lovanium miserat, cum mandatis ad Academiam haud mollibus, & amplissimâ potestate jura Patrum tuendi. Nuncius Apostolicus Romam confestim scribens magnam Pontifici sollicitudinem attulerat. Nec dubium quin gravis Pontificiam inter & regiam auctoritatem contentio fuisset oritura, nisi Patres Societatis, quidquid precibus & gratia poterant, eo contulissent, ut Archiduce placato & regis ministris, Pontifici mos omnino gereretur, quod feliciter denique sunt consecuti; ut ex Claudio Aquaviva Clemens magna cum voluptate cognovit.

* Pii V. 10.
Mart. 1571.

12.
Pia Sodalitas in
invidiam addu-
cta.

* Ad an. 1596.

Quam sæpe sacra Societatis ministeria inturbata fuerint, vel penitus disturbata, cognoscere licet ex iis quæ narrata sunt libris superioribus, & quæ passim postea referentur. Mos Neapolitanis est ut, quoties gratuitum (sic vocant) munus offerunt Regi, toties ab eo vicissim aliquid postulent, quod urbi ornamento vel commodo sit. Censuere nonnulli * postulandum ut abrogarentur sodalitia Beatissimæ Virginis, in Societatis domibus instituta. Contendebant ab ejusmodi cœtibus progigni factiones publicæ quietis inimicas: eò confluere largitiones piorum, melius alio derivandas; demum hinc oriri solitudinem in templis, dum facella privata & obscura populo redundabant. Postquam id rescivit Claudius Aquaviva, dissimulare maerorem non potuit, tum communi pietatis causa, tum privata quadam sua, qui consilium hoc à civibus suis profectum doleret. Scripsit continuo ad Neapolitanum Archiepiscopum, & diligenter docendum proregem Olivarium curavit. Insuper misit in Hispaniam litteras, tum ad Didacum de Yepes, regis conscientie moderatorem; tum ad Comitem Mirandæ, Italici consilii præfectum recens creatum; addidit libellum, in quo totam sodalitarum ejusmodi rationem explicabat: quem sibi proponerent finem, quam ad illum consequendum, insisterent viam. Denique, ut adversariorum argumenta refelleret, docebat convenire tantum sodales ad audiendas cohortationes pias, recitandas preces, usurpanda sacramenta: neminem istis cœtibus excludi: in iis vero ceteri præcipuos regis ministros: magnam pecuniæ vim in publica commoda conferri a sodalitiis Neapolitanis; nec spargi solum in Italiam, sed in Africam usque, ad sublevandam Christianorum sub iniqua servitute gementium inopiam & frangenda vincula, deferri: demum in tanta civitate solitudinem templorum minime pertimescendam esse, augendam vero in dies probitate civium, & sodalium cura, quorum exemplis ubique pietas efflorescebat. In his quippe sodalitiis, tanquam in seminariis virtutum, ali & adolescere misericordiam erga pauperes, concordiam in familiis, obsequium & fidem adversus Principes. Documento esse alias sodalitates ejusdem generis, in Hispania, Gallia, ceterisque partibus Christiani orbis, conditas. Hæc Olivario proregi Neapolitano visa sunt adeo sapienter & verè dicta, ut iniquum de illis abrogandis postulatum penitus rejecerit, ac ne in Hispaniensi quidem regis consilio mentionem de isto capite fieri passus sit. Visum est permirum in civitate adeo catholica inventos esse qui præsidium hoc religioni ereptum & pietati vellent. Sane, quàm insignis ab ejusmodi sodalitatibus existat utilitas, si non esset illustribus argumentis abundè comprobatum; vel ex hoc uno posset intelligi, quod ad eas convellendas malevolorum semper odia, per speciem etiam pietatis, exarserint. Vir in urbe Senensi primarius ereptum sibi filium & religiosæ additum familiæ dolens, qui Societatis in collegio præcipuum inter sodales Deiparæ locum obtinebat, in summam nos adduxit

duxit invidiam apud Ferdinandum Etruriæ Magnum Ducem. Haberi clandestinos à nobis cœtus criminabatur; periculosa institui conventicula, quibus à plebe se-juncta nobilitas, ad labefactandam reipublicæ concordiam infuesceret. Patres, per nomen & causam erudiendæ juventutis, non solum inserere se atque interponere in familiarum negotia, sed etiam allicere adolescentes ad se se; quorum ingen- niis illustrari civitas, & prudentia frui posset. Ferdinandus, qui tum forte Se- nis aderat, pacis fovendæ cupidus, ac nominatim cœtibus quibuslibet inensus qui optimates à populo dirimerent; quamvis edoctus à rectore collegii, quam ista sodalitates, & quorsum institutæ; placari tamen ante non potuit, quàm in unum quoddam corpus & locum, nobilitatis ac populi sodalitia promiscuè con- venirent. Jamque nonnulli, rumore sparso Ducem collegio & Congregationibus B. Virginis minus favere, iis frequentandis abistere cœperant. Tantum ad com- movendos homines Principis voluntas valet! Verum, digressò Florentiam Ferdi- nando, postquam cognitum est id ab eo non tam ex animi sui sententia impe- ratum, quàm ut hominibus de Societate quiritantibus satisfaceret, resedit me- tus; rediit pristina cuique sodalitati forma; civesque ad consuetas pietatis exer- citationes eo ardentius, quo propius abfuerant à periculo, se retulerunt.

Sic abrupta vel disturbata seu sacra, seu profana ministeria Societatis pri- stinum in statum restitui facile potuerunt, non item domicilia vastata vel diruta. Hildeshemii, quæ urbs est Saxonix inferioris, auctus Sociorum fuerat numerus, addita una itemque altera schola; denique datus è nostris urbi concionator. Hæc Lutheranis doctoribus sollicitudinem ac metum incussere. Quæsierunt, quo pacto Societatem urbe pellerent. Obstabat illorum votis sancita publicè lex, qua cavebatur ne quis molestiam catholicis exhiberet. Hanc legem ut eludant, asse- runt, primùm joco, deinde seriò, nos haudquaquam hoc nomine comprehendi- genus hominum esse minimè omnium catholicum, imo catholicorum pestem, cor- ruptelam morum, Ecclesiæ funus. Magnum hæc flamma incendium portendebat. Admonentur magistratus & rogantur ut maturè provideant; edicta Cæsareæ tueantur, & quam præstabant hæreticis securitatem, catholicis, præsertim sacer- dotibus, non reculent. Illi nihil, aut à re penitus alienum, respondent. Inte- rim in fundo beneficii Ecclesiastici, cujus vectigalibus gaudebant Patres Socie- tatis, comprehensi duo cives, ac delicti nescio cujus gratia in custodiam dati fuerant. Exclamat consul facinus indignum; senatum vocat, de civium jure vio- lato refert, portas oppidi claudit, multitudinem cogit in forum, ut numero fre- ra possit licentiùs insanire. Licetorum unus ducem se ad nostras ædes diruendas populo præbet. Fit clamor: lapidibus, vectibus, & omni telorum genere, atten- tant januam, fenestras ac tecta impetunt. Elapsi per posticum Patres, commu- nitatis foribus, in vicinam ac tutiorem domum profugiunt. Jam tres horas turbo sæviebat, cum senatus, hujus tragœdiæ otiosus spectator, veritus offensionem Principis Ernesti Electoris, quem antea non impune læserat, exsurgit denique, ac plebem agrè submovet. Tamen illa audacior & spe impunitatis & silentio consulis, incendium ac cædem parabat; jamque aliquos è nostris in publicum pro- dire aulos conjectis saxis vulneraverat. Sed magistratus, Cæsareæ, ut vocant, camera decreto citati ad dicendam ea de seditione causam, & consul minacibus Septemviri litteris conterritus, seditionis quibusdam injecere manus, quo metu ceteri perculsi quieverunt. Adductis deinde ad pacem & concordiam rebus, col- legium in eadem urbe Societas paulo post nacta est ingenti civium consensu, quæ stationem ibi duntaxat, eamque parum firmam, hæcenus habuerat: eventu au- gurium Lutherani comprobante, qui, cum nostros appeti lapidibus videret, ex- clamasse fertur: O cives, saxa Jesuitis datis, quibus domum in urbe vestra ponant.

Commotoviense, in Bohemia, collegium, seditione populari prope dirutum fuit anno MDXCI. Georgius Popelius à Lobkowitz, ejus conditor, & oppidi Com- motoviensis dominus, edicto caverat, ut si quis letali affectus morbo, vocare sa- cerdotes & solita Ecclesiæ sacramenta usurpare omitteret, ejus funus lugubri cam- pani aris sonitu ne celebraretur. Legem promulgatam plebecula tulit permole- stè, nempe Lutherana magnam partem, aut Lutheranis addicta. Illam tamen

S. IV.

DOMICILIA SO-
CIIETATIS VASTA-
TA DIREPTA, ET
DIRUTA.

I 3.

Collegium Hil-
desiense lapidi-
bus appetitum.
Commotovien-
se direptum.

pœnæ metus, officii non diuturnus magister, aliquandiu continuit: donec anicula quadam, sacramentis more catholico non expiata, moreretur. Cum iussu filerent campanæ, nebulones unus itemque alter subvecti scalis in turrim, ubi stabant immotæ ac tacitæ, illas certatim pulsant canore seditioso. Adest continuo immissus à magistratu licitor, cum armata manu; fontes comprehenduntur. Dum illi vociferantur, dum oblectantur trahentibus, fit concursus: multitudo correptis armis impetum in liciores facit: accurrentem & intentum sedando tumultui præterem obtruncat, creptosque fontes per plateas urbis, velut in triumpho, ducit. Nihil ferocius populo cum semel excussit jugum. Non ita multis post diebus quidam ex hæreticorum grege mortem objerat, contemptis Ecclesiæ sacramentis; contempta lege, per Popelium lata. Effertur campanis concrepantibus, post effractas templi, quod furentibus oclusum fuerat, fores. Sceleris tamen auctores arrepti, & in custodiam dati. Sed, ut aquæ vis modica, ingenti superjecta incendio, flammam auget, non extinguit; sic magistratum iusta, sed imbecilla, severitas populi furorem vehementius accendit. Concursant urbem, furiosi tympanis resonantibus; alii ad alios aggregantur, pagani addunt se civibus, agebantur enim tunc nundinæ. Ubi corroboratus numero furor increvit, pergunt ad arcem, carceres perfringunt; in collegium denique, ut dignum operæ pretium faciant, præcuntibus hæreticis, arma rabiemque convertunt.

Ac primo quidem fores clausas nacti, lapidum grandine fenestras perumpunt, mox valvas moliantur securibus. Nostri, pars fugam circumspicere, pars necem haud tibi dubiam ingentibus animis opperiri; cum ecce tibi superveniens famulus se ducem illis præbet in vicinam & tutam, ut prædicabat, civium amicorum domum. Eò per posticum elabuntur, & accipiuntur humanitate summa: sed hæreticam domum esse deprehendunt. Manendum tamen fuit, quoniam aliò fugiendi non erat locus. Interim dejectis januæ postibus seditiosi nostras aedes invadunt, sed vacuas, Patribus commodum dilapsis. Ergo ad domesticam supellectilem diripiendam effusi, proterunt omnia, comminuuntque: libros, quorum numerus ingens & bene lectus erat, lacerant, conculcant, aut in fluvium, quo domus alluebatur, deiciunt: quodcumque visum est, asportant. Prædam tamen præcipuam ereptam sibi dolentes, Socios tota urbe, in vicinis ædibus, in agris etiam, inter segetes ac dumeta, rimantur infano ardore. Illam, in qua latebant unum in conclave abditi, domum, quia hæreticorum erat, negligentius observarunt, Deo famulos suos protegente, & humanitatem assistente hospitibus hæreticis, qua majorem catholici non præstitissent. Nocte concubia, cum oppressus improborum furor paulum quievisset, dimissi sunt in arcem suburbanam Popelii, unde in oppidum vicinum se receperunt. Habent hoc ingentia scelera, ut non agnoscantur, nisi postquam patrata sunt. Vix illuxerat, cohortescunt seditiosi, & gravitatem facinoris sui, veluti discussa caligine, intuentur. Nullam nisi in Popelii clementia superesse spem vident. Opus erant deprecatores. Ad eos ipsos Patres, quorum aedes diripuerant, confugiunt: nec adire coram ausi, per litteras obtestantur, primum ut ignoscant, deinde ut veniam sibi à Popeliis exorent. Socii, memores Christi, immemores sui, & nulla re magis vigere Christianam religionem, quam oblivione injuriarum, gnari, benignè respondent, veniamque miseris à Rudolpho Cæsare, ac Popelii impetrarunt. Ea tamen lege concessa fuit, ut à reis publicè confessio sceleris ederetur; ut auctores præcipui seditionis pœnas darent, multarentur ceteri privilegiorum jactura, damna nobis illata sarcirent, arma omnia comportarent in arcem, demum Societatem in collegium ritè reponerent. Quas in leges libenter consenserunt. Fortunis capitibusque parcatum; imo etiam pœnæ pars magna, Sociis adnitentibus, & beneficio injuriam acceptam vindicantibus, condonata. Ipsi postmodum in urbem, plaudentibus cum populo primoribus, revocati.

14.
Bohemica tempestatis adversus Societatem concitata initia & causæ.

Non tam facile sedata fuit tempestas, concitata Pragæ, in eadem Bohemia, anno MDCXI. Ejus tristes quasi prænuncii jam tum ab anno MDCIX. deprehensi erant. Media in Praga unus è nostris luce palam faxis appetitus, cultro etiam vulneratus, nemine sicarium vehementer prohibente; multis laudantibus. Reum tamen

tamen comprehendi magistratus jussit: sed vinculis ac pœna liberandum sacerdos ab eo vulneratus curavit. Ceteris Patribus intentatæ in os minæ, jactata probra, & convicia. Parabatur & concrefcebat fulmen. Emicuit anno MDCXI. ictum tamen nisi anno MDCXVIII. non pertulit. Initia gravissimæ cladis, quoniam in Aquavivæ tempus incidunt, hic breviter edifferemus. Obierat anno MDCIX. Joannes Guillelmus, Juliaci, Cliviæ, Montiumque Dux, nulla sobole relicta. Ad cernendam ejus hereditatem spes, animos, & arma crexerant, quibus affinitas aliquid juris dabat, Septemvir Brandeburgensis, & Palatinus Dux Neoburgensis. At Rudolphus Imperator, metuens ne cruentum in bellum evaderet ea contentio, illam sibi dijudicandam sumpfit, iisque provinciis in pace continendis præfecit Leopoldum Austriacum, Passaviensem tunc & Argentinensem Episcopum. Is contracto exercitu, quem Passaviensem ab ejus duce, vel etiam à loco ubi præcipue constatus fuerat, scriptores vulgo appellant, Juliacum insedit. Verum Principes sua quisque jura per se se tueri gestientes, advocatis etiam vicinorum quæ Catholicorum, quæ Protestantium auxiliis, ac fortasse veriti ne Cæsar per causam componendæ controversiæ, Ducatum Juliacensem, aut partem ejus aliquam sibi vindicaret, exercitum Passaviensem Juliaco dejecerunt. Qui revocatus in Germaniam tumultuari non obscurè cœpit, debita stipendia, nec perfoluta repetens. Ea ut impetraret à volente Cæsare, aut à nolente raperet, Pragam irrumpit, ubi tunc Imperii sedes; ac minorem, seu novam, urbis partem, quam à majori & veteri fluvius Muldava dirimit, improvisus occupat. Vifa est occasio præclara Hussitis, aliisque catholicæ religionis hostibus, insitam rabiem explendi: prædæ spes vulgi facem stimulavit. Concurrunt, & per causam Passavienses deturbandi, faciunt impetum in sanctissima pietatis monumenta. In iis principem obtinebat locum Slovanense Benedictinorum cœnobium: cui uni crudelitas Ziscani temporis pepercerat. In illud effudit se primus impiorum furor: templi supellectilem diripiunt, confringunt imagines, aras evertunt. Progressi ad Carloviense monasterium, Canonicorum Regularium, non contenti locuplete prædâ, tum sacra, tum profana, præsidem loci, senem annis & pietate venerandum, è latrebris educunt, plagis & contumeliis onerant; capitis cutem clericali corona insignitam avellunt; ac demum, amputatis manibus, ac fœde mutilato corpore, contrucidant. Unum è Canonicis, qui vicinum in templum profugerat, affecuti, medio in templo circumsteterunt, & punctim cæsumque ferientes, sexcentis vulneribus confecerunt. Franciscanos quatuordecim vestibus exutos, statuis Divorum ligneis, in orbem accensis, exusserunt, & unam in struem congestos, atque insepultos abjecerunt: nemine civium ad humanda cadavera prodire auso; tantus terror omnium animos invaserat. Transgressa pontem furibunda multitudo, & animis & numero creverat, direptisque Dominicanorum ædibus in collegium Societatis, tanquam præclari laboris metam, & opima spolia, imminebat. Palam deposcebantur Patres ad necem inconditis clamoribus; ac ne quis effugeret, omnes aditus undique circumfusum agmen obsederat.

Jacebat inter pontem, quo civitatis utraque pars jungitur, & collegium, area ingens. Hanc læta manus equitum occupaverat, à Pragensi collecta magistratu; & in pontis capite, ne Passavienses illac in veterem civitatem irrumperent, excubabat. Equitatu præerat dux catholicus, Georgius Wratisslaus Mitrowizius. Ad eum perfertur latère in ædibus nostris trecentos Passavienses. Hanc hæretici sparserant famam, ut aditum in ades nostras eo nomine nanciscerentur. Georgius, quanvis rumorem fictum falsumque intelligeret, tamen indulgendum aliquid populo sapienter existimans, pollicetur se daturum operam, ut collegium excutiatur; interim quiescant, neque quidquam per tumultum aggrediantur: nemini futurum impune, qui secus faxit. Ita cum populo locutus, agit seorsum cum nostris, ut collegium investigari patiantur: aliter ipsos salvos esse non posse. Illi vero non modo annuunt, sed etiam deposcunt ultro atque invitant. Delecti quatuor proceres collegii angulos omnes pervestigant, fremente ad fores populo, vixque prohibito, quin januam vestibus paratis everteret. Postquam renunciatum à proceribus est, nihil in collegio repertum, ne Passaviensium quidem

15.
Seditiosa plebs
collegium So-
cietatis invadit,
& necem Patri-
bus intentat.

quidem umbram: in eos ipsos erupere maledicta turbæ insanientis: mactandos illico, & cum Jesuitis omnibus in profluentem dejiciendos. Irritati conviciis, & insolentia proceres conscendunt equos, & in confertam multitudinem, quæ audacissimus quisque occurrebat, invecti, seditiosos in fugam eonjecerunt; iterumque, tertio, ac sæpius redeuntes infestis telis adorti, tandem incepto desistere coegerunt. Successit nox formidolosior. Dilapsis equitibus, neque alio, quamvis enixè petitum a senatu fuisset, impetrato præsidio, patebat collegium direptioni certissimæ, & vastitati. Obversabatur oculis omnium, ad singula pane momenta crudelis ac funesta mors. Quicumque undecumque tumultus increpauerat, peti collegium, inflammari, excindi, credebatur. Ipsa quies faciebat insidiarum suspicionem, ac metum augebat. Ea nihilominus quiete utendum ratus Provincialis, nostros Christi corpore munitos, & novissimis instructos monitis, in catholicorum domos notas fidasque dimisit; paucis qui laterent in collegio, relictis, ac præsidium denique militum obtinuit. Eo deterrita plebs non est quin ad expugnandam domum numerosior & paratior advolaret. Verum, ubi vacuum Patribus, refertam milite per senatum inducto, comperit; nullam esse mactandi spem, exiguam prædandi; refrixit paulatim furor, & ad nova quadam, ut nos quoquo modo perderet, consilia excogitanda, machinasque se convertit.

Interim dimissi è collegio Patres civitatem attonitam metu, seditionum facibus astuantem,prehendunt. Catholicorum fortunæ & capita in ultimum adducta discrimen erant: clausa templa, domus obseratæ, obfessæ militibus viæ, data impietati & hæresi licentia quilibet audendi. Tanto in terrore perutilis opera nostrorum accessit, ad catholicos sacramentis confirmandos, & ad omnem eventum verbo exemploque comparandos. Dejecti spe veteris urbis evastandæ Passavienfes, eam tormentis muralibus, nisi aditus sibi præberetur, diruere constituunt: jamque tormenta in oppositos colles, qua fluvius Muldava molli jugo ripas attollit, subvexerant. Inde novum collegio periculum. Erat quippe objectum istis fulminibus, interpolito duntaxat flumine. Igitur convulsari coepta sunt quæcumque tolli potuere, ac præsertim educi bibliotheca libri, & in subterraneas abditi cryptas, ubi padore ac situ magnam partem corrupti sunt. Rebus paulatim ad pacem & concordiam perductis, respiravit civitas, & servandi collegii acrior cura primores incescit. Frequentes accessere, nosque bono esse animo & quieto jusserunt. Discussum periculum videbatur, cum illapsus militum globus in hortum collegii, humum vicinosque parietes hastis pertentans, clamat arma in ædibus nostris occultari: deprehensam telorum omnis generis vim infinitam. Dissipata continuo fama implevit urbem, & incendit. Excitatur sopitus populi furor; exterminandos peruelles vociferatur, & ad nostras aedes fanatica plebs convolat. Magistratus eadem suspicione pridem imbutus negotium dat primario copiarum ductori, ut rem penitus exploret. Ille, Patribus unum in locum convocatis, Provinciales rogat, ut ferreas fistulas, tela varia, præcipue vero pulveris nitrati magnum numerum, quem scirent omnes in collegio asservari, aut regni Ordinibus, pacto pretio, vendere; aut muneri dare ne gravetur. Nobis vero, inquit Provincialis, antiquius nihil esse potest, quàm illustrissimis regni Ordinibus aliqua in re gratificari; nec, si quid hic armorum delitescit, vendere, sed ultro donare, velim: at nihil hic ejusmodi esse certo scio. Bene habet, subjecit centurio. Nemini vestrum fas sit excedere isthinc, donec ita se rem habere, uti prædicatis, & ut opto, constet.

Subito intromittuntur lictores cum fossoribus; item nonnulli è Patrum discipulis, quibus notior domus credebatur: demum bajuli, cum sportis & vehiculis, ad arma deportanda: tam alte infederat mentibus hæc opinio à malevolis disseminata! Quo mirari minus licet eam ad externos permanasse, atque adeo consignatam litteris, & pro certa proditam à plerisque scriptoribus, inveniri. Aurium temerariam credulitatem refutavit oculorum judicium & fides. Itum per omnia cubicula, officinas, & apothecas: effractæ cista, armaria patefacta; inducta in subterraneas cellas multa lux, & innocentie testis dies: lacerati parietes,

16.
Societatis innocentiæ publicis litteris declarata.

tes, & verum dicere coacti; pavimenta divulsis tabulis, aut laterculis, perrupta. Ipsi proceres, qui centurionem comitabantur, lucernis instructi, ut pluribus velut oculis viderent, subibant omnes latebras, & quoniam nihil humi reperiebatur, per difficiles scalas crepere non dubitarunt in tecti fastigia, & arduas concamerationes. Horis pluribus in hac peruestigatione consumptis, abierunt multa cum laude nostra, nec sine suo pudore: bajuli male nobis precati, quod inanes reverterentur, excepti sunt sinistra populi admurmuratione, tanquam officio negligenter functi. At magistratus, re comperta, clarissimum Societati testimonium dederunt, quod in publicas relatum tabulas ne quis desideret, è vernaculo sermone in Latinum vertimus, & ad calcem hujus libri XIV. apposuimus.

Dum Pragense collegium videntibus nobis ita laniabatur, villa quædam rusticana, unde vestigalia collegii petebantur, à vicinis hæreticis vastata sunt. Horrea frumento spoliata, pecus abactum, diruta maceræ, deformata miserum in modum ædificia; ne ipsi quidem januis, fenestrisque, parcitum. Redacti ad summas inopia angustias Patres precarium ægrè spiritum pia civium liberalitate sustentarunt. Astitit civitati pristinam tranquillitatem denique restituit exercitus ex Austria properè accitus. Eo metu Passavienfes conterriti fugam præcipites arripere. Illos seditiosa plebs, templorum exitio & sacrorum hominum cruore pasta, dum fugientes temere persequitur, ab iisdem circumventa, macerata ferro, undis hausta, consumpta flammis, debitas ultoribus Superis poenas dedit. Catholici externo & intestino pariter hoste liberati, gratias liberatori Deo immortales egerunt. Juvabat illos intueri ex occlusis ædibus tanquam è sepulcris, in lucem novam prodeuntes; salutantes inter se non sine lacrymis; templorum liminibus dulcia figentes oscula; & divina, quibus aliquandiu caruerant, mysteria prolixius, lubentiusque, usurpantes.

Ea fabula de armis apud nos Pragæ occultatis Germaniam pervagata, occasionem obtulit improbis debacchandi crudeliter in Patres collegii Aquisgranensis. Hæretici quidam fuerant in vincula conjecti, eam ob causam, quod cœtus à magistratu prohibitos extra urbem sæpius frequentassent. Eorum gregales & patroni Anabaptistæ, Lutherani, & Calvinistæ, basilicam urbanam occupant, & magistratui armatas preces adhibent, ut carcere illos emittat; alii portas civitatis insident; plerique ira in catholicos, ac potissimum in Patres Societatis, inflammata urbe tota vagantur, eadem, incendium, vastitatem, conclamantes. Hoc ipso die advenerant Aquisgranum duo è nostris, P. Bartholomæus Jacquiniotius, domus Professorum Parisiensis præpositus, & P. Nicolaus Semetzius, è Lovaniensi collegio: ambo reversi è Spadanis aquis, quod valetudinis causa erant profecti. In eos ex ade sacra Deiparæ collegium repetentes sub vesperam, incidit cohors fanatica gladiis, vestibus, bipennibus instructa, excidium collegii & Patrum necem anhelans. Ambo in catholici opificis obviam tabernam se projiciunt, & latebris occultantur. Irrumpunt furiosi, & prædam vestigant. Mentem improbis Deus eripuit. Sursum deorsum cursitantes, cum neminem reperirent, evasisse rati, abscesserunt, ac spatium Patribus in collegium evadendi præbuerunt.

Ibi Socios invenere congregatos in ædem sacram, & expiatis per sacram confessionem animis, caput suum Superis in omne discrimen devoventes. Accingebat se unus ex illis ad Socios Divino Christi corpore muniendos, & subducendam amentium ludibriis sacrosanctam Eucharistiam, celebrato, quod novissimum sibi putabant omnes fore, sacrificio: cum hostile agmen ad collegii fores intonuit. Saxis molaribus & contis in portam arietant; quæ, licet objectu tignoribus firmata, fatiscibat nihilominus, & excussa cardinibus lababat. Consultius visum est ultro admittere furentes, & conditionibus, si liceret, depacisci, quàm expectare dum victores aditum sibi facerent valvarum ruina; jamque per vicinas hæretici cujusdam ædes partem infesti agminis in collegium subisse constabat. Porta recluditur: acies impia vesano ululatu effundit se se, obvium sacerdotem vulnere immani salutat, janitorem proterit, qui vix impiis manibus eripus est. Inde ruunt in templum. Ad conspectum religiose familiæ, nix genibus, ante sanctissimam Eucharistiam, substiterunt paululum, quasi stupore defixi.

Rabies

17.
Aquisgranense
collegium va-
statum.

Rabies innata, & sacrorum contemptrix impietas brevi stuporem hunc & venerationem expulit. Manibus pedibusque raptatos Patres in aream collegii compellunt: rogant, ubi arma? ubi nitratus pulvis? ubi faces in civitatis exitium comparatae? Negantes armorum quidquam usquam in collegio latere, conviciis & fannis impia cohors obruit; mox foras, quasi neci dedendos in oculis civitatis, via infami, qua capite damnatos deduci mos est, protrahit. Contumeliis, quacumque erat iter, ac verberibus favitum est, ut in victimas neci destinatas. Spectabant feralem tragœdiam à fenestris illacrymantes catholici, nemine aulo mutire, vel prodire domo. Deliberatum diu inter sceleratos de loco necis & modo. Quinque paucis horis mutavere carcerem: placuit ad extremum gulam omnibus laqueo clam frangere, cum primum tenebras nox, facinus occultatura, revexisset.

18.
Patres gravi liberantur periculo.

Erat inter Socios, ut initio memoravi, P. Bartholomæus Jacquinotius, homo minime timidus, & in Gallicis illis, quæ nuper Societatem vexaverant, turbis exercitatus. Hic reliquis saluti fuit. Circumspectat Lutheranum ex omni turba paulo ceteris humaniorem. Illi se indicat; simul injicit metum à Regina Galliae, quæ regni administrationem adepta post obitum Henrici IV. exercitum in Ducatum Juliacensem, ad componendas, quæ illic erant exortæ, turbas immittere dicebatur. Eiusdem Reginae non levia in civitatem & recentia beneficia commemorat. Movit Lutheranum oratio. Persuasit reliquis ut sacerdos ille Galus aliorum Patrum numero eximeretur & periculo, imo ut ab eo venia peteretur, quod inclementer ab ignara multitudine fuisset acceptus. Jacquinotius eorum timore factus confidentior, negat se à Sociorum consortio divellendum: eandem sibi cum illis vestem: eandem aleam periculi fore: omnes, perinde ac se, vacare culpa. Annuentibus tamen & orantibus Sociis demigrat, & in ædes Decani cum Patre Semetio deducitur. Statim agit cum Decano, & pratore civitatis, ut ad furentem plebeculam mittantur quidam in vulgus gratiosi. Per eos effectum, licet agrè, ut Patres in eandem Decani domum transferentur, ibique haberentur tanquam in custodia, revocandi à senatu, quandocumque libuisset. At populi pars ferocior, prædam sibi ereptam fremens, ad ipsas Decani ædes præcipiti cursu ruit: jactat faces in rectum, januam emovet, Patres reposcit. Illi per cæcos & longos viarum anfractus deducti aliò fuerant. Negavit Decanus quemquam intus esse; ac fidem, aliquot intro admissis, fecit. Sic improborum conatibus objecta est mora, quod in omni tumultu populari caput est; impetu enim viget, tempore languescit. Mitto dicere quæ collegio perniciës allata fuerit: vix, præter lapides, qui asportari non potuerant, quidquam reliquum: ac ne ipsi quidem integri mansere: marmoreas divorum statuas deturbarunt, & comminuerunt: sacris vestibus per ludibrium induti, divina mysteria sacrilegi histriones imitati sunt; conculcatas imagines in plateam per fenestras projecerunt. Portenti simile visum est, quod sacrosanctum Christi corpus nulla violaverint injuria: nam illius occultandi spatium non fuerat. Scelestas mentes aliò Deus vertit, & in hostias non consecratas, quarum plena pyxis in sacrario reperta, vim omnem impii furoris expromere passus est: nec non in adorandos calices, quos ad profanam computationem impuri ganeones adhibuerunt. Proximum erat ut, quoniam Patrum sanguine odium vetus exsaturare nequiverant, eorum exilio fruerentur. Ad eos igitur civitate pellendos incubuerunt. Obstetit paulisper magistratus: vehementius repugnarunt legati catholicorum Principum. Denique improborum fregit audaciam Galliarum Reginae orator, & post quinque menses, pridie Nonas Decembris Patres in collegii possessionem restituit.

19.
Societas ex oppidis aliquot Poloniae pulsa.

Gravis quoque periculi metus anno MDCVI. Socios in Polonia exterruit, hæresi civilis discordiæ flammam ventilante: nec propius quidquam factum, quam ut è florentissimo, & fervantissimo catholicae Fidei, regno Societas exturbaretur. Causas tam fœdæ tempestatis, & quo sedata fuit, modum juvat breviter aperire. Polonia gens amantissima semper libertatis fuit. Duxerat Sigismundus III. Constantiam Austriacam. Nonnulli proceres veriti ne quid ex his nuptiis detrimenti caperet publica libertas, propter Austriacæ domus potentiam, serere suspiciones, ac

ac populum commovere cœperant. Hæretici, non ita multi quidem in Polonia, & maxima sectarum varietate distracti, miro tamen omnes ad evertendam religionem catholicam consensu inter se devincti, omnium primi nomina sua inter illos dederunt, qui per causam tutandæ libertatis coibant. Exiere statim libelli adversus Regem; nec parvitum Societati, cujus hoc videtur fatum, ut quæ in singulis Orbis Christiani regnis obveniunt perturbationes, illi tribuantur. Acuebat malevolorum odium eximius in eandem amor Sigismundi, qui per nostros homines ad omnem veræ pietatis partem informatus ab ipsis incunabilis, iisdem ad sacram confessionem, & conciones utebatur: novus etiam Reginae confessarius in aulam adscitus, ad alios qui debebant in eadem, Patres accesserat. Hinc invidia; inde criminationes, & calumniæ. Quidquid à Rege peccari dicebatur in administrando regno, totum adscribebatur ejus educatoribus, qui tam male Principem instituisent; concionatoribus, qui non docerent; confessariis, qui non admonerent. Refricabantur Gallica, Anglicana, Transilvanica, Veneta Societatis infortunia. Patres, indictis primùm per singulas domos precibus & sacrificiis, quæ tutissima sunt contra improborum molitiones propugnacula; deinde conscriptis & editis in vulgus libellis, adversariorum calumnias refellebant. Regem Deus innocentia vindex, tum etiam nobilis unius præ ceteris fides ac diligentia servavit. Conveniebant seditiosi ad Sendomiriam amplius triginta millia, misti catholicis hæretici. Catholicis erat propositum tutari prisca libertatem, ac nonnulla, ut aiebant, redigere meliorem in statum: hæreticis deliberatum erat spoliare clerum bonis, Societatem Polonia deturbare. Subodoratus dira incepta Stanislaus Zolkierolskus, vir prudentissimus atque integerrimus, pacem componere summopere studuit: sed cum perduelles in proposito perveraces hære, imo etiam agitare consilia de Rege opprimendo sensit, illum tempestivè admonuit. Qui Varavia, ubi sedebat imparatus, prope discedens, antea Cracoviam subiit, quàm factiosi quò profectus esset audivissent. Conterriti adventu Regis in urbem primariam, ad quem undique antistites & palatini confluebant, tempus consulto exemerunt; donec illorum, qui secum conspirabant, pars melior, & catholicis sacris amicior, dilaberetur. Tunc enim audacius frequenti fenatu conquesti sunt. Audita illorum querela, etsi periniquæ, multo tamen mitiores, propter metum regii exercitus, quem è nobilitatis flore Zolkierolskus collegerat. Præter multa dignitati regis & catholicæ religioni omnino repugnantia, postulabant nominatim ut Societas ejiceretur Cracovia, Varavia, Sendomiria, Leopoli, & aliis civitatibus regni primariis; ut nullum deinceps novum in regno posset domicilium condere, aut oblatum accipere; ut qui essent in ea exteri, facerent: jamque nos ejicere Gedano & Torunio cœperant. Mussabant amici Societatis; cedendumque tempori arbitrabantur; deserendam à nobis saltem Cracoviam, & urbes aliquot præcipuas; rebus pacatis facilem fore vulneris accepti medicinam. At Rex indignum ratus armatæ perduellium multitudini cedere, impia postulata rejicit magno procerum consensu, nihilque cunctatus infesta signa in rebelles movet. Cessere paulisper, quippe inferiores numero; at consecuta cohortes regia incautos in eum conjecere locum, ubi hinc fluvio, inde circumfusis agminibus inclusi, effugere non poterant quin ad unum, si dimicare placuisset, caderentur. Ausi tamen (quid enim non audent cæca & pertinax amentia?) instruere aciem, & arma expedire. Quorum vecordiam Rex miseratus, servare maluit quos perdere nullo negotio poterat. Accitis ducibus seditionis exprobrat scelus, incutit metum, spem ostendit. Veniam orant supplices, arma ponunt, pax utrimque conclamatur. Sed, qui fluvio proximi, & remotiores ab acie prima erant, eum clamorem, prælii signum esse suspicati, tanto impendentis exitii terrore correpti sunt, ut in flumen se se dederint præcipientes, ac multi undarum impetu abrepti, justas perduellionis pœnas ipsimet à se repetierint, quas illis regia clementia condonarât. Ita dissipatum fœdus impium, ac si quid foret controversiæ, ad regni comitia, in annum MDCVII. indicta, rejectum est.

Actum in comitiis*, quò regni ordines omnes convenerant, de constituenda tranquillitate publica; nec Sigismundus, quamquam suo jure in rebelles sæpe

* Vide: Lib. XV.

20.
In Comitibus
Varfaviensibus
laudata.

S. V.
SÆVITUM IN IP-
SAS PERSONAS
SOCIETATIS.

* Libro XV.

21.
Califfiensis col-
legii sacerdos
ferro appetitus.

22.
P. Petrus Coto-
nus graviter a
facario vulnera-
tur.

jam victos uti potuisset, recusavit quin postulata, in Sendomiriensi conventiculo ab illis fabricata, in publico sanctissimoque regni confessu expendere, ne quis novo præterea tumultui locus esset, ac præsertim illud de pellenda Societate. Plurimi ne proponendum quidem omnino censuerunt. Quia tamen libera & integra de singulis capitibus ferri suffragia placuerat, auditum fuit ac rogata sententia. Responsum est primò quidem constanti, quod liberrimam omnium declarabat indignationem, silentio: deinde amplissimo decreto, quo laudata Societas; & macula, si quam illi calumnia inusserat, omnino deterfa.

LONGUM esset illatam collegiis Gaditano, Rigenfi, Gedanensi, aliisque non paucis vastitatem & stragem persequi: hæc fusius, & suo loco *narrabuntur, ubi de collegiis datis, auctis, perditis & restitutis agemus. Neque vero tantum in domicilia sæviturum est, sed in ipsos etiam habitatores. Zarembarum familia in Califfiensi Polonia tractu nobilitate opibusque præfata: eadem olim hæresi addita, & Societati parum æqua fuit; nunc, mutatis rebus, de Societate bene merita: quod libenter hic monemus. Etsi enim unius ex ea familia graviolem in Socios injuriam, ut fides historiae jubet, referamus; nequaquam tamen ob unius noxam, hæere labem ullam in clarissimis posteris volumus. Majorum benefacta latissimè ad omnem futuri temporis memoriam pertineant: malefacta, si qua sunt, perstringantur leviter; ac, si fieri potest, funditus obliterentur, suosque duntaxat auctores premant. Vicina erant collegii & Zarembarum prædia: hinc rixarum seges, quæ ut sopirentur, Patres non modica parte duplicis fundi ultro collegiant, pacem suo detrimento bene redemptam rati. Miserat P. Cosminius collegii procurator, Sextili mense, messorum in agrum ad frumenta demetenda. Illos Joannes Zaremba, cum per pagum suum (Kamien loco nomen est) facerent iter, universos vi tenuit, ac sua demetere frumenta iussit. Audita re, accurrit Cosminius, & meditatur hominem delinire, uti fecerat antea sapius satis è sententia. Zaremba præceps irrupit, cum armata famulorum turma, in Patrem salutandi causa comiter procurrentem. Famuli tumultu & clamore incondito sacerdotem inermem, ignarum, supplicem, circumfistunt; proturbant, ac multant malè. Vulneribus coopertum rustici supervenientes in collegium plaustrum reportarunt. Atrox facinus subito vulgavit fama. Indignari omnes, & in Zarembas fremere, etiam hæretici. Patres conticescere, ac Deo pro inimicis supplicare. At facinoris auctores arbitrati se levius reos fore, perfecto scelere, quàm inchoato; cumulare injuriam calumnia statuunt, & quem conficere ferro tentaverant, iudicum sententiis mactare. Igitur diem nostris dicunt: affirmant illos pagum Kamien adortos, vix à Joannis Zarembæ familia, propulsante vim injustam, arceri potuisse. Adornant falsos testes, in primis Martinum Syskovium. Etsi calumniam nullo negotio diluerant Socii, ac suam innocentiam iudicibus apertè probaverant, obeunte vadimonium ipso Cosminio, paulum è vulneribus recreato, quorum adhuc cicatrices & fœda vestigia præferebat; nihilominus erat cur male sibi ab adversariorum opibus, potentia, & gratia, metuerent, nisi Deus ultor in tempore ipso adfuisset. Coorto repente inter illum, quem appellavi modo, Syskovium, & Joannem Zarembam, jurgio, Syskovius stricto gladio Zarembam quinque vulneribus, quot fuerant ab ejus famulis imposita Cosminio, confodit: Syskovium Zaremba glande plumbea transfixum sternit: hic unum diem superfuisset, ille septem: uterque agnito prius scelere, & venia per deprecatos à Patribus petita.

At percussores, à quibus P. Petrus Cotonus anno MDCIV. graviter est Letetia vulneratus, nullo unquam studio deprehendi potuerunt. Latuit manus, à qua vulnus inflictum; auctores, a quibus adhibita, facile intellecti sunt. Cotonus cura omnis, & industria in eo maxime versabatur, ut consilia hæreticorum & molitiones in Gallia leniter frangeret: simulque regi Henrico IV. eriperet errores, quibus imbutus a puero fuerat. Quod ita strenue præstabat, ut Henricus non solum aulicos, licentius antea res divinas cavillari solitos, cogeret obmutescere, sed ipsos mendacii magistros revinceret: ereptosque illis proceres bene multos Cotonus erudiendos traderet. Sacerdotem invisum, tot cladum quas a catholicis quotidie accipiebant auctorem, perdere decreverunt. Redibat ab aula

aula sub vesperam *, in amici rheda. Sicarius ab iisdem submissus, rhedam affectatur, & observato diligenter loco, ubi sedebat Cotonus, invadit à tergo nec opinantem, & illi gladium in scapulas adigit. Demersum alte ferrum est ea parte, qua pectus collo committitur, & ab humero dextro ad fauces usque pertinuit. Vulnere immani affectus Pater demisit caput, interclusa propter dolorem, ac vim sanguinis inundantem, voce; manumque sociiprehendens admovit pectori, quod jam sanguis impleverat. Properantem appetente nocte aurigam vix repetitus clamor inhibuit, cum jam plurimum cruoris esset effusum, & vulnus rhedæ jactatione non parum ingravesceret. Inspecta plaga portenti plus, quam periculi, est habere visa: quippe innoxius gladii mucro, velut arcana regente manu, perlapsus nervos inter ac majores colli venas, & arterias, quæ sine certo exitio nequeunt vel levissime violari, vulnus luculentum magis fecerat, quam letiferum. Dicitur vix potest, quantus aulam & urbem, audita re, mæror ac trepidatio incesserit. Rex percussorem, promissâ ingenti pecuniâ, si quis indicaret, summa, conquiri jussit. Parisiensis antistes obibat urbem, clamitans committendum non esse, ut scelus tam atrox inultum abiret. Indictæ omnibus in templis preces: aulici, etiam alienis à Fide opinionibus imbuti, ad ægrum visendum advolarunt concursu tanto, ut Rex prohibendum putaverit ne quis ad eum adiret, donec vulnus foret perfanatum. Qua cautione, ceterisque remediis maxima sedulitate adhibitis, brevi convaluit. Optimi cujusque civis & honoratissimi, ac præcipue religiosorum Ordinum, tanta, è metu & sollicitudine, exstitit lætitia, ut Henricus optandum quodammodo fuisse istud vulnus diceret, ex quo intelligeretur quanto apud omnes in pretio Cotonus esset. Auxit hanc omnium venerationem ejus moderatio, cum à magistratu de facinoris auctoribus interrogatus, enixè rogavit ut inquirendi finis fieret. Cum tamen capitalium rerum prætores nihil de investigandi contentione remitterent, sparsa est in vulgus ab iis qui sibi timebant fabula, nescio quem è regis servis olim castigatum, quia in P. Cotonum convicia jecerat, id facinoris esse molitum, ultionis cupiditate. Quam fabellam Gallicarum rerum scriptor *, & partium hæreticarum studiosus, ut certam prodidit. Merum esse commentum Cotonus ipse disertis verbis sæpius affirmavit.

* *Idib. Januar.*

Non leve specimen Christianæ mansuetudinis Socii Camberienfes anno MDCXII. ediderunt. Illis prædium in urbis conspectu erat, litium dives fundus, quæ haud rarò intendebantur à vicinis nobilibus, quorum latifundiis confertus ager; præsertim verò à potente dynasta, ejus possessioni ab annis pluribus inhiante. Nescio quid majoris damni per vim ille nobis intulerat. Senatus Camberienfis reo diem dixit. Hanc injuriam interpretatus adolescens ferox, dynasta filius, advolat expeditus in equo, inque obvium è nostris unum procurrens, eum incusso sæpius baculo dejecit; mox stricto gladio humi jacentem repetitis ictibus ferit; demum equi ferratis unguis proculcat. Cum omnes elisum obtritumque crederent, adhuc vivere deprehensus est, ope, ut prædicabat, Deiparæ, quam supplici voto interpellaverat. Vulgata re, senatus nulla nostra provocatus accusatione, gravem violati per summum scelus religiosi hominis, ejusdemque innocentis, quæstionem sua sponte decernit, misso capitali cum sua cohorte duumviro, qui vincitum adolescentem in custodiam pertrahat. Ad aures Principis Sabaudia Caroli Emmanuelis, fama sceleris pervasit. Scribit ad senatus primarium præsidem, ac præcipit, ut nulla vel ætatis vel nobilitatis habita ratione, in reum animadvertatur. Ad Camberienfis item collegii rectorem dedit litteras benevolentia plenissimas, quibus significabat velle omnium nostrum capiti, æquè ac suo, cautum esse. Quid ageret adolescens, aut quo fugeret, nihil erat. Armatis lictores undique instabant, ut se commovere non posset. Nihil potius habuit, quam ut ad rectoris humanitatem confugeret. Immerentis patrocinium rector suscepit, etique Principem, licet ægrè, placavit. Quo factò ita conciliati dynasta fuerunt, ut prædium nobis tranquillum ac liberum, confecto rite instrumento, reliquerint. Adeo plus lenitate, quam viribus atque ipsa interdum æquitate, proficitur!

23.
Unus è Sociis
Camberienfis
multatus usque
ad mortem.

Nec nihil tamen juvat adjunctus religiosæ lenitati constantis & impavidæ mentis

24.
P. Henricus Sa-
merius ad necē
ab hereticis de-
pofcitur.

tis vigor. Hic Patri Henrico Samerio faluti fuit. Stenovicum obfidebat in Belgio Naffavius anno MDXCII. Tranfalaniae munitum oppidum. Ejus gubernator P. Henricum Samerium acciverat, qui militibus facramenta miniftraret. Quod ille cum praefaret fedulo, ita fibi omnium praefidiariorum devinxerat animos, ut illo infpectante pugnare gaudent ac mori; nec vivere, nifi falvo & fofpite, voluerint. Itaque conditiones, quas Mauritius offerebat honeftiffimas, in fumma rerum omnium difficultate repudiarunt, quia Samerium unum excipiebat, quem diris excruciare fuppliciis parabat, ab Anglis maxime ftimulatus, infenfiffimam eam ob caufam Samerio, quod dicerent, eum necem Elifabethae reginae fuiffe machinatum, Hanc ille criminationem facile diluit, quippe nixam hoc uno argumento, quod Mariae Stuartae, peccata in carcere conftenti, aures aliquando praebuerat. Cum vero cognoviffet Naffavius eundem oriundum Luxemburgo effe, quamvis diu verfatum in Gallia; cerneretque in ejus unius capite fummam deditio- nis verti, exorari fe paffus eft, ut eadem cum ceteris militibus praefidiariis conditione gauderet, ejusque nomen perferberetur in tabulis deditio- nis: fed indidem expunctum dolo fuit. Ergo investigatus diligenter ab Anglis, in oppi- dum facta deditioe introgreffis, & ad certam quaefitus necem, quamvis late- re facile potuiffet, nihilominus, five paftorum fiducia; five contemptu, aut etiam defiderio praeclearae pro religionis caufa necis, ultro fe quaerentibus obrulit. Vin- ctus deducitur ad militare confilium, ubi variis interrogationibus fru- ftra tenta- tus, rapitur in custodiam, fupplicio, ut rumor erat, afficiendus. Tum accedens haeretico doctor illum hortari coepit, eaſque faepe auditus iterare voces, *veritatem à me difce*. Quo intercalari carmine commotus Samerius, *Quin tu, inquit, hos canos vides? difcere tuum eft, meum docere: veritatem ex me difce*. Qua voce conterritus, ac militum etiam, qui audierant, fibilis explofus rabula ob- ticuit. Interim gubernator, ac primores civium ducumque, publicam fidem vio- latam graviter cum Mauritio querunt. Is, re cognita, & Anglos inculans, eximi vinculis Patrem juſſit, imo reddi ſuas illi farcinulas ab milite direptas, & libellos, ſine quibus abiturum ſe negabat.

25.
P. Andreas Te-
ratzo crudelem
in modum fau-
ciatus.

Difficilius compoſita res fuit in Sicilia, quae barbaram adoleſcentis in P. An- drea Teratzo vulnerando immanitatem exhorruit. Tetri facinoris caufas & mo- dum paucis complectar: inde quippe intelligi poterit, quanta caurio fit à noſtris hominibus adhibenda, cum ad opem morientibus ferendam arceſſuntur. Doro- thea Sanginiſa, nobilis matrona Catanenſis, confecto teſtamento, neſcio quid Societati legaverat, benevolentiae potius monumentum, quam liberalitatis & munificentiae. Rumor ad affines perlatus inje- cit illis merum, & Patres plus ali- quid conſequerentur. Itaque dederunt operam, ne iis ad matronam deinde pa- teret aditus, utque ipſa filiae Catharinae, quam Joſephus Vivacitus habebat in matrimonio, fortunas omnes ſuas addiceret. Addixit: ſtipulata eſt: domeſticam duntaxat ſupelleſtilem, cum modico veſtigali annuo, ſibi reſervavit. Poſthac in morbum incidit. Filia (ut eſt avaritia infariabilis) illam ipſam, quam ſibi ſepo- fuerat mater, ſupelleſtilem avehere, & ſuam domum aſportare coepit: exiguum cenſum, quo parca matrona ſuſtentabatur, intervertit: eo denique parentem optimam, & immaturam in filiam liberalitatis poenas, ut ferè fit, graves dantem, eo adegit, ut corrogato victitare cibo cogeretur. Cum ingratum & immemo- rem animum ſapius reprobraſſet filiae, nihilque verbis proficeret, rem in iudicium detulit. Sed ejus gener Vivacitus effecit apud iudices gratia, fraude, pecunia, ut ad mulieris viduae & deſtitutae querelas obſurdeſcerent. Ingemuit civitas, in- dignitate rei percuſa, egitque cum Patribus, nemine qui patrocinium innocentiae contra gratiam & auctoritatem ſuſciperet, invento, ut ne feminam pietate ac ſtudio erga Societatem conſtanti notam, ab omnibus derelictam, à filia indigni- ſime vexari paterentur. Conſultius factum à Patribus fuiffet, ſi partes iſtas alicui amico potenti detuliſſent, aut clam invidioſum adminiſtraſſent negotium. Viti civium & matronae precibus, palam Vivacitum ejuſque uxorem aggreſſi, de- injuſta ſpe ac machinatione deſecerunt. Maximam ſunt ab omnibus laudem con- ſecuti, quod & innocentem vindicaſſent ab injuria, & oblatam alendae in templo lam-

Jampadi pecuniam, quam vidua beneficii memor sponte dabat, repudiasset. Furrere interea Vivacitus, ejusque conjux Catharina, & ultionem meditari. Itaque cum P. Teratzus ab agra moriente accitus venisset, ut eam de peccatis confitentem audiret, subiit Catharina, & sacerdotem, tanquam vulturem mortuæ spoliis imminentem, non sine convicio ædibus expulit.

Matrona sortem suam cum vicinis amicisque deplorabat, obsecrans ut, quando vivere sibi non liceret, mori saltem pacatè contingeret. Admonitus rerum capitalium præfectus, & afflicta mulieris vicem dolens, ad eam cum iudicibus venit; de testamento, quod unum tantos tumultus cietet, rogat, nunquid mutatum, vel de integro constitutum, velit. Respondet, nihil esse quod mutatum cupiat: omnia jam à se donata filia, quamvis immerenti, excepta domestica supellectile: unum se petere, ut tranquilla morte defungatur. Hoc vero se imperrare ab iis non posse, qui fortunis suis omnibus potirentur. Ea cum diceret obortis lacrymis, iudices cognita rei aqutate, veterunt graviter, ne maternum in conclave Catharina deinceps prodiret, & custodes ad januam ædium appofuere, ne quid è materna domo asportaret. Cum pax reddita familiae putaretur, matrona oleo sacro inungenda, supremisque munienda sacramentis, P. Teratzum evocat. Venit; confitentem audivit: recitabatque preces, quibus Ecclesia morientes profequitur, cum, ecce tibi, Catharina, filio juvene annos 20, nato stipata, & duobus Patribus, è Carmelitarum disalceatorum familia, in conclave prorumpit. P. Teratzum conspicata vociferatur, & proditorem clamans, jubet procul facessere. Tum religiosos viros, qui sequebantur, commonstrans, ait adesse, qui matris morientis curam melius gerant. Erigit se in pedes Pater, & salutatis benignè Carmelitis, complicato precum volumine, discedit. Abeuntem Hieronymus Vivacitus, Catharinae filius, occupat à tergo, & cultrum expediens, involat in fauces, sed aberrante per festinationem ferro, maxillam immani vulnere discindit, ac vultum icu duplici dirè deformat. Fit clamor: conjicit se in fugam percussor; sacerdos cruentatus, & semianimis, agrè in collegium se recipit, ubi citius opinione, nec sine manifesto, ut creditum est, S. Ignatii beneficio, convaluit. Hunc vero casum fama continuo vulgavit. Accurritur ad collegium; detestantur omnes improbum facinus, & nullo satis expiandum supplicio conclamant. Corripitur adolescens & in vincula ducitur. Prorex datis ad Episcopum Catanensem litteris, obnixè flagitavit ut reum & causam regio foro concederet; sibi potissimum incumbere dicitans, & pro ratione sui muneris, & pro antiqua in Societatem benevolentia, ut ejusmodi scelus impune non abiret.

Dum id maxime sentiebat, ac scribebat, aliud quidpiam accidit, quo repente mutata ejus in nos voluntas; & oblata propemodum impunitas reo, fuit. Ferebat insulæ consuetudo vetus, ut exacto quoque triennio conventus optimarium haberetur, ad ineundam rationem de constanda colligendaque certa pecuniæ summa, quæ à regis ministris in publicam rem impenderetur. Hujus pecuniæ portio pensitabatur olim à Collegio Panormitano, ratione abbatiæ S. Mariæ de Crypra. Cujus deinde oneris immunitatem anno MDCI. Philippus III. Societati concesserat. Prorex, nonnullorum hortatu, idem onus collegio Panormitano rursus imponere decreverat. Patres ad conventum adesse iusti, opponunt concessam immunitatem; extraordinarium etiam munus, pristinae summae ante paucos annos adjunctum, si non detrectare palam, certe obscurè visi sunt improbare. Id vero proceres, qui regio præerat aut savebant fisco, molestissimè tulerunt. Prorex subito mutatus invehitur in Societatem, velut regis Catholici rationibus infestam; scribit ad Pontificem, ut curet ejiciendos Patres Orfona, quam in urbem summa civium voluntate nuper intromissi fuerant, causatus id injussu suo factum: certum vestigal, quod singulis annis, ad collegiorum provinciæ subsidium, pendebatur, aufert. Proregem ita comparatum nactus Vivacitus, ut facile exulceratis animis adhærescunt calumniæ tela, quæ in suspectos aut inensos conjiciuntur, libellum supplicem illi porrigit: causam omnem, & filii facinus falsis coloribus depictum proponit; auditur benignè, laudatur. Sparguntur illico adversus Patres, quasi testamentorum captatores, fabulæ; procuduntur famosa carmina, convicia

inge-

ingeruntur. Pergit Vivacitus, & quæ per calumniam, ac famæ popularis favorem, vulgaverat, ea se in legitimo judicio probaturum contendit, ac demonstraturum, jure percussum P. Teratzum fuisse. Verum cupiditati & odio dum indulget, se causamque, Deo sic providente, perdidit. Impetratis a prorege litteris, Catanam Panormo advolat, testes corrogat pretio, minis impellit, vi perducit Messanam, ubi tum forte prorex morabatur. Sed ille, refrigercente sensim estu perturbationis, & injecta per viros pios religione, retulit se paulatim ad pristinam æquitatem, & Vivaciti causam majori curia disceptandam permisit. Interrogati separatim testes, ac jussi verum dicere, partim quia neque constabant sibi, neque inter se congruebant, sunt explori: partim uno consensu præclarum de Societatis innocentia testimonium dixere. Sic discussa quam offuderat accusatorum improbitas, caligine, lux & tranquillitas perditis prope rebus affulsit. Ingens præterea momentum ad placandum nobis proregem attulit Cardinalis Auria, Panormitanus Archiepiscopus, cum præsertim cognovit consilium Aquavivæ fuisse, ut negotium sibi totum permitteretur. Accusator deprecatione Patrum poenas leviores, quàm erat promeritus, dedit. Sed ejus filius, licet per Summum Pontificem excommunicationis, qua propter sacerdotem tam injustè atque atrociter percussum obligatus erat, vinculo fuisset absolutus, Dei vindicem non effugit manum. Quippe in amentiam & furorem incidit; catenisque, instar pecudis rabida, constrictus miserabilem vitam, qualibet morte faviolem, ad annos aliquot produxit.

26.

P. Jacobus Salesius, & Guillelmus Saltamochius, ab hæreticis interfecti.

* Salès.

Infelicem pariter exitum vitæ sortiti sunt quicumque violentas P. Jacobo Salesio, ejusque socio manus injecere anno MDXCIII. Albenacum, Galliæ civitas, ab hæreticorum servitute fuerat vindicatum sub annum MDXC. Facta cum iis induciæ: pax & quies urbi utcumque restituta. Expeditus de Societate fuit a civibus concionator in controversis Fidei quæstionibus exercitatus, qui hæreticos docere, confirmare catholicos; simulque sacras per Adventum habere conciones posset. Collegii Turnonensis rector, à quo id gubernator Albenaci petierat, oculos extemplo conjecit in P. Jacobum Salesium*, qui Turnonii tunc docebat theologiam, Græcæ & Hebræicæ peritum linguæ, atque in illis, quæ cum hæreticis agitantur, catholice Fidei capitibus tractandis, apprime versatum. Quin ultro provinciam hanc laboremque susciperet Salesius, dubium non erat, quippe totus à superiorum pendere solitus nutu: sed ejusdem viribus ac valetudini rector diffidebat. Igitur ab eo percontatur, num satis virium sibi fore confidat ut Albenaci verba facere per sacrum Adventus Dominici tempus possit? Ad hanc vocem exclamans, quasi præcius futuri, Hoc me nuncio, inquit, beas. Illic, illic me compotem diuturni fore voti spero. Simul thecam sacrarum reliquiarum, in qua martyrum beata pignora gerebat è collo suspensa, deosculatur; illorum pretiosam imitari scilicet necem, & præmia consequi, gestiens. Profectus cum rei familiaris adjutore Guillelmo Saltamochio*, vergente ad finem Novembri anni MDXCII. verba, quemadmodum promiserat, fecit: suffragante verbis sanctimoniam vitæ, & populo concionatorem non sterili plausu, sed mutatis moribus laudante. Quamobrem enixè rogatus ut pergeret habere conciones per infrequentis anni Quadragesimam, coactus fuit Albenaci consistere.

* Saultemouche.

Interea securi, propter pactas rite cum hæreticis inducias, debebant Albenacenses, monente identidem Salesio, nullos facilius opprimi, quàm qui minime timerent: hæreticis malè credi, qui Deo dicenti non crederent. Ea quàm verè ac prudenter ab illo dicèntur, sunt experti cives, qui sacerdotem optimum bene sperare, ac vanos deponere metus jubebant. Cambaldus perducellium ductor, imminens in occasionem urbis occupandæ, faventibus, quos habebat in ea consilii sui conscios, octavo Idus Februarii anni MDXCIII. cohortes hæreticorum noctu Albenacum, duce Sarjasto quodam, introducit. Ubi hostes urbe potiri auditum est, clamor illico, tumultus, fuga civium in arcem. Ad eam recipere se se cum potuisset Salesius, in vicinum secedere cum socio templum maluit, propitiandi Numinis causa. Inde reperunt ambo domum, Superisque se totos permittunt; parati quamlibet necem pro fide catholica fortiter tuenda, subire.

bire. Prima luce milites ad urbis & sacrorum direptionem effusi orantem utrumque deprehendunt; convicia ingerunt & verbera: libellos, & si quid occurreret piæ supellectilis, corradunt aut comminuunt. Mox ambos in ædes immanissimi Calvinista pertrahunt, ubi asservati, & contumeliis omnibus vexati fuere, donec ad eos poti & pransi pestilentis doctrinæ magistri convenerunt. Hic orta variis de rebus disputatio: in qua cum bene passos adversarios jejunos & male multatus Salesius obmutescere cogeret, fannis & opprobriis victorem uli discedunt, ingruente jam nocte; ac Dei famulos hyeme perfrigida seminudos, sine strato, sine cibo, militum petulantia illudendos relinquunt.

Postero tamen die redeunt ad certamen, & inedia vigiliâque confectum Salesium adoriuntur. Acris de Eucharistia instituitur concertatio, in qua pariter veritas errorem, impietatem religio, modestia petulantiam superavit. Æstuabat præ ceteris defensoribus erroris Labatius, gregales inter suos eruditionis & audaciæ laude clarus. Is ab hac domestica velitatione progressus in concionem, quidquid impius suggestit furor, in Papistas, in Jesuitas, ac nominatim in Salesium, evomuit: dein libellum de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, ab eodem editum, attollens, Quid cessatis, inquit, hunc pseudopropheta, hunc Antichristum, de medio tollere? Inultum abire patiemini, quem vobis mactandum Deus, victoriæ recentis non dubius auctor, dedit? Expectatis scilicet dum hoc veneno tota, quanta est, Gallia corrumpatur. Ejusmodi verbis, tanquam cæstro quodam, percussa plebs novam colligit rabiem. Ipse Labatius, scelus ac cædem anhelans, ad sacerdotis domicilium rectâ è concione fertur, præeunte Sarjasio, sequente & vociferante furiosâ multitudine. Irrumpit Sarjasius in ædes, & procurrentem ore lato Salesium petens, Adesdum, inquit; prodi, scelerate. Quo? reulit Salesius: in publicum, illic moriturus. Ego verò præsto sum; eamus *in nomine Domini*. Unum oro, ut hunc Saltamochium, comitem meum, abire innoxium patiamini: nullis est imbutus litteris, nullis Ordinibus sacris initiatus; nihil obesse rebus vestris potest. At Guillelmus: Egone ut te deferam, mi Pater? nulla vis disjunget, quos Deus conjunxit; eadem religione vixi hætenus, eodem instituto vitæ, eadem tecum morte defungar. Neque ut aliter loqueretur, aut se neci subduceret, quamvis milites effugium præberent, adduci potuit: imò turbam obstantem submovens, lateri Patris arctius se adjunxit.

Labatius substiterat ad fores ædium in via. Ut Salesium vidit prodeuntem, tollit vocem alacer; circumstantem populum cohortatur ad immolendam Calvino victimam; ac Sarjasium inclamans, peragendum crudeli popæ sacrificium mandat. Ille vix impetravit à suis satellitibus, ut manus pio sanguine cruentarent. Eorum denique unus fistula ferreâ glandem plumbeam excutiens in humeros Salesii, Beatissimæ Virginis opem Superumque ceterorum implorantis, & Christi supremas voces *Ignosce illis* ingeminantis; pronum humi stravit: quem accurrens alter ficarius, adacto in latus gladio, suavissimum Jesu nomen intermortuâ voce appellantem confecit, secunda post meridiem hora, VIII. Idus Februarii. Ruebat in expirantis complexum Guillelmus: scelesti milites strictis pugionibus certatim dejectum confodiunt. Mox utrumque nudatum vestibus, raptant in plateam, imitantes funebrem catholicarum exequiarum pompam, per lasciviam & ludibrium. Detracta cæcis vestimenta, pullarum instar vestium militaribus superinjiunt sagis; præit summa in hasta præfixus pileus sacerdotalis, adjecta vulpinâ caudâ; sequitur gregarium agmen, & risus incompósitos fictis ululatibus permiscet. Postquam illudendi finem satietas ac defatigatio perditissimis hominibus attulit, Sarjasius severè interdicat, ne quis cadavera sepeliat; ac tandiu jacuere insepulta, cæno infecta & cruore, dum quinto post die cives duo catholici clam ablata, in horti angulo piè condiderunt.

Salesius annum ætatis trigessimum septimum numerabat; Societatis vigesimum*. Saltamochius annos sex & triginta expleverat, quorum quatuordecim transegerat in Societate. Ambo erant oriundi ex Arvernia, Galliæ Australis parte: Jacobus Salesius ex urbe Lesovio: Guillelmus, ex oppido cui nomen est Sancto Germano en l'Her. Salesium parentes bonis erudiendum artibus curaverant in collegio Billo-

*Anni an. 1557
21. Martii.

27.

P. Jacobi Salesii
patria, & vitæ
in Societate actus
curius.

Billomenſi Societatis, quam ingreſſus Kalendis Novembr. anni MDLXXIII. tirocinium in Lotharingia Viroduni poſuerat. Eo peracto, ſalutem animarum, tanquam propoſitum ſtudiis religioſis finem ſpectans, dedit operam diligentem perſcendæ non ſolum linguæ Latinæ, & Græcæ; ſed etiam Hebræicæ, Syriacæ, & Chaldaicæ, ne quo careret litterarum telo ad comprimendam loquacitatem hæreticorum, qui per hæc tempora catholicis fidentiùs inſultabant, quaſi germanam ſacrorum librorum ſententiam, ejuſmodi linguarum inſcitiã, non aſſequerentur. His armis inſtructus nunquam Calvinianos adoriebatur, quin vinceret, iſque pudorem incutiebat ac metum, cum ſacræ paginæ locos, ex ipſis petitos fontibus enuclearet; ac miniſtrorum falſæ religionis, in iſta reconditori doctrina vulgò triumphantium, aut ignorantiam, aut malam fidem demonſtraret. Anno MDLXXXII. philoſophiam Muſſiponti, deinde theologiam, docuit. Cum valetudinem ſtudenti contentione obtuſiſſet, Dolam, in provincia Lugdunenſi, conceſſit, ut natali ſolo viciniore, & otio benignè recreatus, debilitatas reficeret vires. Ibi per annum ferè MDXC. conſtitit, labore pauliſper depoſito; veriùs dixerim mutato. Nam habendis concionibus, confeſſionibus excipiendis, aliſque in communem utilitatem obeundis Apoſtolicæ vitæ muniis, quæ hominem integrum & bene valentem occupatum habuiſſent, adeo utiliter otium illud litterarium collocavit, ut eam ob rem ipſi per litteras gratulatus Aquaviva ſit. Conſirmata nihilominus valetudine, ruruſum docere theologiam jubetur in academia Turnonenſi: quo in munere cum alterum jam ageret annum, & illius academiæ ingens ornamentum eſſet, uti literæ, tunc ad Propoſitum Generaleſem de illo ſcriptæ, teſtantur; excurrit Albenacum per eam occaſionem, quam diximus: ubi glorioſum fecit finem vitæ, per omnes virtutum gradus ad ejuſmodi faſtigium provectæ. Nihil erat illo modeſtius, nihil humanius, præſertim erga illos, quibus aſperior indoles, aut etiam à ſuis moribus videbatur alienior: hos præ cæteris obſervabat, id ſtudens unicè, ne quem ipſis daret offenſionis locum, imo ut eos omnibus obſequiis devinceret. Quemlibet ex inſimo domeſticorum adjuutorum gradu ad familiarem adhibebat congreſſum, ac ferè unum aliquem ex iis eligebat, cui poteſtatem ſui reprehendendi, corrigendique liberrimam faceret, monita numero beneficiorum habens, eaque non ſolum agendis prolixè gratias, verum etiam precibus ad Deum fundendis, liberaliter compenſans. Eadem animi demiſſio Pariſiis clariùs enituit. Scripta quædam philoſophica in lucem editurus, audivit in iis aliquid præſecto ſtudiorum diſplicere; quanvis plauſibile, & ſubtiliter excogitatum, cujuſmodi plurima ſunt in philoſophicis. Nihil cunctatus, id totum induxit. Jam, inter precandum ſic mentem habebat in Deo deſixam, tam ſuavi pietatis ſenſu afficiebatur, nullam ut patereſt aberrationem. Quod ſingulare beneficium cognitum ex iis fuit, quibus conſcientiæ reſceſſus omnes aperiebat. Præterea hoc illi antiquiſſimum erat, ut ex rei creatæ cujuſlibet aſpectu colligeret amorem laudemque creatoris. Eam ob cauſam arcana rerum naturalium, & herbarum varias dotes, perdiscere ſtuderat; iſque de rebus ſermonem conſueverat inferre, utilem pariter ac jucundum. Divinarum perfectionum contemplatione ita capiebatur, ut puriſſimo gaudio delibutus in iſtas ſæpe voces erumperet, *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*. Ex illa familiari cum Deo conſuetudine pax animi & oris amœna ſerenitas oriebatur; neque aliud Sociis crebriùs ſuadebat, quàm ut *pacem Dei, quæ exuperat omnem ſenſum**, piè foverent, memores illius perennis lætitiæ, quæ Deus æternum ſibi de ſe, boniſque ſuis, gratulatur & placet.

28.
Ejuſdem variæ
virtutes.

* *Ad Philip. 4.*

Cum plenus Deo, ut ita dicam, eſſet; unum cogitaret, amaret unum; unum etiam loquebatur: vixque alios, quàm de rebus piis ſermones, ac potiſſimum de amore divino miſcebat, ſive cum externis ageret; ſive cum Sociis, per eas horas quibus colloquendi copia, ſecundum prandium, cenamque ſit; Quin, inter amicos hanc tulerat legem, ut in familiari noſtrorum cœtu, occuparent primas loquendi de rebus piis partes, & invicem reſpondendo, in eundem ſermonem ceteros perducerent. Porro nulla de re libentius ardentiusque loquebatur, quam de ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento. Singulis horis gratias Deo agebat pro

pro *invenarrabili dono ejus* *, ut Apostolus loquitur. Cum prodiret è cubiculo * *II. Cor. 9.* evocatus ad januam, iter hætebat per templum adorandi Christi causa: idem faciebat, cum rediret. Quando per valetudinem potestas sacrificandi non erat, rogabat aliquem è Sociis ut, suo nomine, sacrificio interesset. De illo præcipue mysterio cum hæreticis, jam captus, disputavit: quibus cum librum à se hoc de argumento conscriptum obtulisset, impiorum furorem ad necem ipsi maturandam accendit.

Ex amore divino, tanquam ex fonte, manabat singularis adversus mortales omnes caritas, cui cum angusta esset Europa, in remotissimas oras ingentia proferebat vota. Exstant * illius ad P. Claudium Aquavivam litteræ, quibus significat à multis annis teneri se incredibili desiderio prædicandi Japonibus, Americanis, Sinenfibus, evangelii: non deterreri corporis & virium imbecillitate, quæ nequaquam obfuerit plurimis, quominus labori evangelico pares essent. *Hic, in Europa, inquit, multitudo inertes penè reddit operarios, qui profectò nimium multi sunt, dum vastissimis illis, atque ad messem jam albis, regionibus messores desunt.* Justus nihilominus in Gallia morari, & cum hæreticis dimicare, nullum eos oppugnandi finem fecit, conscribendis libris, verbis è superiore loco faciendis, oppidis & pagis ad spargendam cœlestem doctrinam peragrandis: quas excursiones obibat semper pedes, Apostolico more atque instituto. Neque vero inani pompa strepituque metiebatur fructum concionum, sed solida meliorem ad frugem conversione peccantium. Id vero consequi potissimum conabatur, excitando in eorum animis vehementi noxarum dolore, quem velut aculeum ita desigebat, ut non facile evelleretur: eò verba Christi pertinere distans: *Posui vos ut eatis, & fructum asseratis, & fructus vester maneat* *. Quidquid tamen pro Christi gloria moliretur, conquietere non poterat, donec sanguinem pro amantissimo Servatore funderet. Hoc unum diu noctuque volvebat animo, unum hoc anhela- bat; hoc in Divina re facienda, statisque ad horas singulas precibus, à Deo suppliciter postulabat. Si quando martyrii mentio fieret in sermone, ardor è toto vultu repentinus eminebat; nec temperabat sibi quin exclamaret, ac verbis interruptis proderet latentis animi vota. Et visus est Deus famulum suum præmonuisse; certisque indiciis, quod eventurum erat, illi ostendisse. Itaque, cum Albenacum iret, plerisque affirmatè pronuntiavit se ibi martyrio donandum: similiter, nobili cuidam tubulum ferreum nitrato sartum pulvere ipsius pectori per ludum intentanti, Non à te, dixit, sed ab hæretico, plumbea glande sternar. Denique paucis antequam mactaretur diebus, suæ mortis ac rei gerendæ totam seriem dilucidè Turnonensis collegii rectori perscripsit.

Jacobi Salefii virtutem amulabatur ejus comes Guillelmus Saltamochius, innocentiam morum, candore animi, pietate: ac præsertim obedientiæ studio, quam Parisiis, Mussiponti, Lugduni ac Turnonii tam accuratè sancteque coluit, ut ejus omnes numeros implevisse videretur. Ejus insigne documentum aliquando præbuit, dum in convictorum Mussipontano contubernio janitoris munere fungebatur. Monitus fuerat ne quem alumnorum domo egredi pateretur. Nobilis adolescens ab amico juyene foras arcessitus, adest ad limen, veniam excundi petit: negat Guillelmus licere sibi per moderatorum jussa. Id conspicius alter, qui amicum opperiebatur in via, Saltamochium furentis in morem invadit; pugnis, calcibusque tundit: nec satis, gladii capulo cervicibus incusso, multis vulneribus inflicis, cruentatum relinquit, nihil tamen aut minitantes, aut postea de injuria quiritantem. Narrantur alia ejusdem mansuetudinis exempla, quibus demonstratur animus planè potens sui & victor, quæ summa germana virtutis est. Ita domestico & velut umbratili martyrio ad majora certamina pro- dunt sancti, & huic Divini Præceptoris effato fidem faciunt: *Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est* *: simulque docent, quàm fallat eos ratio, qui Japonum serobes & incendia, lanienas Canadensium, crudos Afrorum rictus, patibula denique mera crepant; iidemque quotidianis crucibus ferendis impares, turpiter in minimis rebus profligantur & concidunt.

29.
Dei & proximo-
rum amor. Mis-
sionum cura.

* *Data 6. Jan.*
1587.

* *Joan. 15.*

30.
Guillelmi Salta-
mochii obedi-
entia, patientia, &c

* *Luc. 16.*

31.
Testimonia de
nece illis in
odium fidei il-
lata.

Cum primum de Saleſii & Saltamochii præclara morte nuncius in vicina collegia perlatus eſt, exilire omnes gaudio, ac Numini grates debitas perſolvere, quod Societatem ſuam honore tanto dignatum eſſet. Auxit lætitiã narratio rei geſtæ, publico judicum ac magistratuum teſtimonio conſignata. Nempe quarto poſt eadẽm patrãtam die, hoc eſt III. Idus Februarias anni MDXCIII. poſtulate regiãrum cauſarum cognitore, quæſtio de re tota è juris formulis eſt legitime inſtituta, per regium prætorem in tractu Vivarienſi, & rerum capitalium quæſtorem in eadem provincia. Illorum juſſu teſtes interrogati III. Idus Aprilis, & IX. Kal. Junii; tum VIII. Id. Quintiles ejuſdem anni, jurati affirmarunt duos illos Societatis religioſos in odium fidei VII. Id. Februarias, poſt bidui ferè cuſtodiam, crudeliter in via publica maſtatos fuiſſe. Hæc teſtimonia deinde, tabulaſque ritè conſectas, examinavit Epicoſopus, & pro ea, quam ipſemet habere ſe profeſſus eſt, rei geſtæ certa notitia, ut minimè dubias, & rite factas, publico monumento declaravit III. Kal. Novemb. anni MDCVI.

Acceſſerunt humanis teſtimoniis divina. Eã ipſã nocte, quæ Saleſii eadẽm excepit, in ejuſdem natali cubiculo admirabilis quidam ſplendor eſſulſit, quem amplius horæ ſpatio perfeveraffe, qui aderant teſtati ſunt. Agricola pagi Vivarienſis, ex alta turri præceps deciderat XI. Kal. Novemb. anni MDCXXII. Obtritus toto corpore ac ſemianimis opem Saleſii & Saltamochii imploravit, voto illis piè nuncupato: redditus eſt ſtatim fractis luxatiſque membris motus, quo penitus carebant; ac triduo poſt ſalus, quam omnes deſperaverant, reſtituta. Difficultate ſpirandi laborabat, dum viveret, Saleſius: eodem affectus morbo è ſacra Divi Benedicthi familiã monachus, Saleſii officiulo peſtori admoto, aſthmate liberatus fuit: quod ipſum plerique aliis accidiffe memoratur. Feminam à malo dæmone, poſt annos duodeviginti duriffimæ ſervitutis, vindicatam interpoſito Saleſii patrocinio Bruxellis conſtat, Nonis Quintilibus anni MDCXXII. Cum enim Tartareum hoſpitem mulieris miſeræ vexatorem ſolemni præcationum formulã urgeret facerdos, adfuit in promiſcua turba nonnemo è Societate Jeſu, & libellum, Saleſii manu exaratum, protulit. Continuo dæmon inſolitos clamores edit, horrendiſſique ululatiſque locum implet, bacchatur, furit. Cauſam rogatus: Uror, inquit, uror: cui Pater libellum oſtentans, Ecquid hujus auctorem noſti? Novi fanè, reſpondit, & noviffè nimium pœnitet. Eum deinde à ſuis amicis cruenta necè peremptum conſeſſus, & cruciari ſe graviter vociferans, erupit. Sic Numinis imperio nonnunquam dæmones ſanctorum gloriæ ſerviunt: habetque illorum teſtimonium fidem, ubi certis aliunde ſignis argumentiſque congruit. Supperunt alla ejus generis complura, quæ proferentur in lucem, cum utriuſque cauſa, quæ ſub Alexandro VII. poſtulatu Chriſtianiffimi regis Ludovici XIV. ad Romanum Sacræ Congregationis tribunal eſt delata, plenius ageretur: ut publicis honoribus eorum virtus tot probata teſtimoniis decoretur.

32.
Forum corpora
in locum decen-
torem transla-
ta.

* Eleonora
Cbauffea.

* Anno 1597.

Poſt fortunatam ſervorum Dei necem angebat hic dolor catholicos, quod ipſorum corpora eſſent in hæreticorum poteſtate. Matrõna nobilis *, ea per fidõs homines religioſo ſubripere furto diu tentavit. Sed cum iſtã viã res non ſuccederet, Cambaldum hæreticorum anteſignanum, cujus præcipua tunc auctoritas Albenaci erat, per litteras oravit, liceret ſibi aſportare in domeſticum ſacellum ſepelienda corpora; & exoravit: ſtatimque per illos ipſos, qui raptim in horti, ut diximus, angulo ea condiderant, refoſſa tranſtulit in pagum ſuum Ruantium, ut ipſamet ſingillatim narravit in ſua quadam ad Patres collegii Turaonenſis epiſtola: & ſuſus deinde expoſuit Patri Odoni Gyſſeio, qui vitam utriuſque tunc ſcripſit. Quadriennio poſt *, Avenionem ad collegium Societatis Jeſu delata ſunt. Porro non levem ſuã in Dei famulos pietatis & obſequii matrõna illuſtriſſima fructum cepit. Cum enim circa annum MDCXX. verſaretur in quodam conclavi, repente annoſa ingentique trabs, imminens ipſius capiti, è ſuperiori tabulato corruit: ſed extrema pars, quæ à muro avulſa erat, ſterit in aere pendula, & labenti ſimilis, cum arca prægrandi, huic parti trabis impoſitã, in qua Saleſii quædam, & Saltamochii oſſa ſervabantur. Cujus miraculi teſtes ac ſpectatores, vocatos Albenaco Patres Societatis eſſe voluit. Uterum eadem cum ferret, pro-
lem

lem Saleſio confecravit, Jacobum ex ejus nomine appellatura, ſi virilis ſtirpis puerum ederet: edidit, & Jacobum dixit. Filius maternæ pietatis ac voti memor, ſecum aliquam ſemper dulcium reliquiarum partem geſtabat, nec fruſtra: hoc enim præſidio maximis periculis, præſertim in ſulcepto contra religionis hoſtes bello, feliciter eſt perfunctus.

At in ſicariis, qui necem Dei famulis attulerant, puniendis ultrix ſcelerum Providentia eluxit exemplo memorabili. Qui primus* Saleſium plumbea ſtraverat glande, poſt paulo in morbum incidit, quo vim incredibilem ſanguinis evomuit, quaſi noxio ſanguine innoxium, quem fuderat, penſaturus. Mox ardente feбри ſic totus incanduit, ut vivus concremari videretur: eam phrenenſis conſecuta cum acuto lateris dolore, hominem poſt dies undecim abſumpſit, ſtupentibus medicis, & morbi genus haudquaquam uſitatum prædicantibus. E militibus qui utrumque ferro conſoderant, unus caſo Saleſio veſtem deripuerat, ac pileum clericalem indiderat capiti, ut mortuo ſacerdoti, ac religioni catholice inſultaret. Idem ſubinde cum fortunis omnibus, mentis quoque ſanitatem perdidit. Inops è locuplete & lauto, furtis ac rapinis ſarcire domeſticam rem inſtituerat: in iis deprehenſus, cum capite ſlagitia luere deberet, propter imbecillitatem mentis parum ſanæ, damnatus eſt ad triremes, deſectis auribus: poſtea tamen ob alia ſcelera comprehenſus, ne ſuſpenderetur in patibulo cum ignominia familie, à propinquis conſoſus eſt. Alter conjectus in carcerem, productus in forum, ſimplice tectus induſio, & facem manu geſtans, veniam à Rege, ac Superis petere coactus: demum ſlagris concuſus, addictis ſiſco bonis, in exilium eſt pulſus; ubi mentis impositus, & à pediculis conſumptus, in ſtabulo interiit. Dux facinoris impii Sarjaſus ab eo tempore graviſſima rei familiaris paſſus detrimenta, unicum denique filium poſt aliquot annos, eodem quo beati religionis deſenſores occubuerant die, hora eadem, in ſingulari certamine a nobili catholico caſum amiſit: utque patrem in filio plecti omnes agnoſcerent, cum ejus cadaver Albenacum reportaretur, poſtquam in eo conſtitit loco, ubi Saleſius ceciderat, tanta eos, qui geſtabant infelix onus, cepit deſatigatio, ut illud abjicere ibidem neceſſe habuerint, neque inde commoveri diu poterit: exclamantibus cunctis Sarjaſum P. Saleſio debitas, in filio pœnas dare. Demum, ut ſceleri ultio plane reſponderet, exortus eſt repente tatus, qui pileum peritice ſuffixum attollens, ac ridicula indutus talari veſte, prævit cadaveri, & exequias duxit: quo more narravimus exhibitam & illuſam ab impiis, poſt famulos Dei trucidatos, pompam in catholicorum funeribus uſurpari ſolitam. Labatius ſeditionis in eos concitata auctor, graviſſimo omnium ſupplicio multatus eſt, quippe in hæreſi ac peccato ſuo mortuus.

Quinto poſt Saleſii necem die captus pariter ab hæreticis non procul Viroduno P. Jacobus Manareus, P. Oliverii Manarei germanus frater, ac per quinque meſes, inedia, & ſqualore tetri carceris vexatus eſt. Inde periculoſam contraxit febrim, qua eum tabeſceret, ac vita in dubium vocaretur, Sanctiſſimæ Virgini votum ea lege fecit, ut ſi libertatem ac valetudinem recuperaret, ſinerentque Societatis moderatores, ad Lauretanam ædem pedes, & victum emendicans proficiſceretur. Concepto hunc in modum voto, depelli morbum, redire vires ac valetudinem ſenſit. Hæretici milites, qui duriffimas redimendæ libertatis conditiones proponebant, de facili capitis pretio ſua ſponte conſenſerunt.

P. Jacobus Saleſius ferro periit ab hoſtibus religionis & Societatis; P. Michael Brilmakerus, veneno. Cum hæreticos exagitare non ceſſaret, ut erat ſacris litteris ac profanis inſtructiſſimus, ſæpe illorum gladiis palam, ſæpe inſidiis clam fuerat appetitus. Demum ab iſſdem per ſpeciem amicitie crudeles ad epulas invitatus, miſtam fallaci poculo necem hauſit. Hærentem intimis viſceribus peſtem Spadanis aquis expulſiſſe videbatur. Brevi tamen languor iners ac dolores acerrimi valetudinem paulum recreatam penitus affixerunt. Obiit Moguntie octavo Kalendas Septembres MDXCV. annis tribus & quinquaginta conſectis. Colonia lucem hauſerat. Monafterienſis collegii diu moderator, & Spirenſis; hujus

33.

Pœnæ a percufforibus ultori Deo data.

* Jacobus Maſſius Beolagus.

34.

P. Jacobus Manareus ab hæreticorum manibus, edito voto, liberatus.

35.

P. Petrus Michael Brilmacher veneno ab hæreticis dato necatus.

etiam prope conditor ac parens, fuit, Ubique summis & infimis, propter eximiae virtutis opinionem, acceptissimus.

36.

PP. Carolus Sagerius & Nicolaus Montanus ab hæreticis oppressi.

* Part. III. n. 64. Lib. VI.

Patrem quoque Carolum Sagerium toxico ab hæreticis dato extinctum anno MDC. fama tulit. Illius facta mentio jam est, merita cum laude ad annum MDLXX. * Nec totus tamen periisse nobis dicendus est, quippe qui tres habuerit in Societate nostra fratres germanos, imo & patrem, suæ virtutis æmulos & imitatores. Ab hæretico milite similiter trucidatum perhibent P. Nicolaum Montanum, Belgam, in tumultuaria pugna Gallos inter & Hispanos commissa, cum iret Castelletum, arcem Hispani tunc juris, ut præfidiarias cohortes ad Pafchale, quod instabat, festum compararet.

Constiterat ad Brugas Ordinum Hollandiæ Fœderatorum exercitus, eodem anno MDC. & meditari obsidionem videbantur. Mutato repente consilio ad Novum Portum oppugnandum citatis agminibus contenderunt. Eos Albertus Archidux Austriæ persecutus, primo congressu Ernestum Nassavium commissa feliciter pugna IV. Non. Quintil. fundit ac dissipat; sed redintegrato paulo post prælio vicissim fusus, conciso equitatu, campum suorum cadaveribus contactum, & victoriam Batavis non incruentam reliquit.

37.

PP. Petrus Buzelinus, Otho Campensis, & Laurentius Everardus ab iisdem maciati.

Quinque de Societate in acie catholica versabantur, quorum duo propè divinitus per circumfusos hostes elapsi, Brugas tenuerunt: reliqui tres P. Petrus Buzelinus, P. Otho Campensis, & P. Laurentius Everardus, desiderati sunt. P. Buzelinus, cum in perruptis castris horrendam stragem hostes ederent, equo relicto, cujus ope confestim evolare poterat è periculo, restitit sponte ad morientes expiandos. Quo in opere caritatis deprehensus, testatusque se non militis aut hostis obire partes, verum sacerdotis & religiosi, ab hæreticis trucidatus est. De PP. Othone, & Laurentio fama est obscurior. Nam certi homines à catholicis missi Ostendam, ut de captivis cognoscerent, ac præsertim de Patribus Societatis inquirerent diligentius, retulerunt eos Ostendam abreptos; ibi productos in publicum, & auribus, parte digitorum, naribusque spoliatos: deinde per oppidum circumactos, ac demum ab Anglis Hollandisque maciatis: atque hæc Romam ad Præpositum Generalem scripsit Provincialis. At Oliverius Manareus in commentario, quem, re accuratius investigata, edidit, narrat Patrem Othonem inter excipiendas confessiones glande plumbea trajectum, cum adhuc tamen spiraret, audivisse lamentabilem militis ejularum, sacerdotem inclamantis; collecto spiritu adrepisse, auresque contenti præbentem, à superveniente hoste confossum periisse: Laurentium vero captum, venisse cum promiscua turba in pagum Ostendæ vicinum. Ibi à catholicis militibus, qui ad Hollandos desciverant, agnitum & comiter salutatum fuisse: sed milites hæreticos, cum Societatis sacerdotem esse hoc indicio cognovissent, irruisse strictis gladiis, & orantem ac spiritum Domino commendantem interfecisse. Hæc P. Oliverius Manareus ab iis, qui viderant, & certo cognitam rem habebant, se accepisse tradidit.

Ut ut est, ambos non indignam gloriosa nece vitam, in Societate vixisse testantur certissima, quæ dederunt, maximarum documenta virtutum. Certè Buzelinus martyrii desiderio flagrabat jam pridem, ut indicant ejus ad Præpositum Generalem litteræ, quibus eum pluribus verbis obtestatur, sibi ut liceat in ultimum proficisci orbem, ad gentes barbaras erudiendas, ubi offerre se possit *hostiam & oblationem Deo in odorem suavitatis* *. Sed illi quærenda longius hæc palma non erat, quam patria feliciter obtulit: & minores decerpere jam consueverat, quibus ad majorem hanc parabatur. Itaque Caletana in statione cum Sociis præfesset, perpetuam sex mensibus, per quos grassata dysenteria morbique pestilentes multis exitio fuere, operam navavit ægrotis: deinde translatus ad castra, nullum periculum, nullam mortis, ut salutem animis afferret, occasionem defugit. Quidquid otii dabatur, in martyrii meditationem & vota conferebat; ac libellos tres de martyrii gloria subsæcis horis à se, media inter arma, compositos reliquit. Cameraci natus anno MDLXIII, in Societatem adscriptus fuerat Nonis Novemb. anni MDLXXXV. Laurentius Everardus, Boscoducienfis, annos tres & triginta natus erat. Arcano quodam Numinis instinctu vocatus ad

pre-

* Ad Ephes. s.

pretiosam mortem videtur. Bruxellis pertinaci febre conflictatus, ac longas in valetudinario moras trahens, candidè Provinciali significavit, spem sibi certam valetudinis ostendi, si adiret castra; fugandam ærumnis militaribus febrem, quæ otio & quiete domestica gauderet alereturque. Interim allatum est de hostibus in Flandriam progressis, de catholico exercitu ad eos properante. Hoc nuntio recreatus, morbum depulit præter omnium spem, & Socios in castra secutus est; professus tamen se minime rediturum. P. Otho à Campis, sive Campensis, quod illi cognomentum inditum est à patria, Transsylvaniæ provinciæ oppido, Societati nomen dederat anno MDLXXXIV. septem admodum & viginti natus annos. In Belgium, opem laturus militibus venerat; ejusque sedulitatem, industriam, pietatem Cameracensè præsidium non immerito laudabat. Cæсорum Patrum corpora post illatam necem, tam fœde crudeliterque deformarunt hostes, mutilatis artibus & inter se confusis, ut separari & internosci non potuerint. Satis id argumenti est, quid in illis, etiam post obitum, odio tam capitali prosequerentur.

Mortis P. Martino Laternæ à Lutheranis illatæ occasionem paulo altius repetere necesse est. E duobus liberis Gustavi I. Sueciæ regis, Joanne & Carolo, Joannes patri successit*. Ejus filius Sigismundus à Polonis accitus est in regnum Poloniæ, cui post mortem patris cum regnum Sueciæ addidisset*, illius administrationem Carolo patruo, Duci Sudermanniæ (est Sueciæ provincia) demandavit. Carolus dominandi avidus, Suecos novis religionibus studentes, & eam ob rem à Sigismundo catholicæ Fidei tenacissimo averfos, in suas partes & in hæresim palam traxit. Mox regio nomine sibi arrogato, bellum Sigismundo ac Polonis indixit. Sigismundus arma in rebellem parat, & classe instructa Sueciam petit. Hunc secutus P. Martinus Laterna, eo in itinere ab hæreticis periit. In euntem ætatem traduxerat partim Drohobicæ, quod illi natale solum in Russia fuit; partim Calissii, unde Bransbergam veniens anno MDLXIX. ætatis 17. Societatem nosse atque ambire cœpit, perfugium in ea quærens imbecillitati suæ. Jam enim per ætatem incooperat pericula virtuti proposita cognoscere, ac religiosos viros veluti positos in arce tutissima considerabat, ad quam pertinere vitiorum jacula vix possint. Hæc secum agitans, ad Societatis præfides litteras dedit, à quibus Bransbergæ in tirocinium admittus est anno MDLXX. IV. Kal. Maias annum agens undevicesimum. Summus erat adolescentis candor: adversus animi sui rectores observantia singularis: ad labores & voluntarias pœnas, ad obeunda vilissima ministeria, ad frangendas cupiditates, prompta semper alacritas; & magna, in corpore non magno, mens. Ab inferiorum scholarum disciplinis & ludo puerili traductus ad sacras conciones, eximiis ad hoc munus apostolicum instructus repente præfidiis apparuit. Mariæburgum, principem Prussiæ regiæ arcem, accessit, necdum sacerdos, Latinas coram proceribus, ac Rege Poloniæ Stephano, qui Latinum in judiciis & concionibus sermonem adamabat: Polonicas, ad eos qui Latine nescirent, habuit conciones, admiratione omnium summa, nec minori voluptate Regis, qui suum, & aulæ, concionatorem illum esse iussit. Interim orto Stephanum inter & Moschos bello, magna pars periculorum fuit, ac laboriosa expeditionis. Non semel excutere jugum aulæ conatus, huic semper alligabatur arctius, tum Regis benevolentia, tum præpositorum suorum jussu: & quoniam religiosa carere domo necesse habebat, aulam efficere conabatur domui religiosæ, quantum fas est, simillimam, exercitatione virtutum, quas privatim colebat ipse, & ad quas aulicos perducebat. Illis utiles ac pios subministrabat libros: sermones ejusdem generis miscebat cum iisdem creberrimè. Si quis Regem legatus, si quis vicini remotive Principis orator; si quis dynastes officii vel negotii causa, conveniret; dabat se in eorum consuetudinem, ac semper meliores ex aula dimittebat. Facile dictu non est, quàm multos proceres hac sedulitate ad catholicorum partes complectendas, aut certè tutandas, adduxerit; quàm multis vitia & errores exemerit.

Est hic fere Polonis regibus mos, ut in alias ex aliis civitates cum aulâ commigrent. Ut quæque civitas lustrabatur, ita sacram illi Pater divini verbi lucem inferebat. Si uspiam regius comitatus paulo diutius consisteret, excurrebat,

38.
P. Martinus Laterna cæsus à Lutheranis.
* Anno 1568.
* Anno 1594.

39.
Quomodo se in aula Polonica gesserit.

bat, cum bona Regis venia, in vicinos pagos, domosve nobilium: hos ab hæresi, illos à schismate; alios ab inveterata consuetudine cuiuspiam delicti revocabat. Eodem Stephano Rege annuente, Romam profectus, ibi quatuor vota Professorum Societatis edidit. Post semestrem absentiam repetenti aulæ redonatus, Vilnam se contulit, ac titulum doctoris theologi, post severiora studia mensibus aliquot regustata, & datum quater in publica concertatione præstantis ingenii doctrinæque specimen, sumpsit. Id enim habebat Aquaviva, ut concionatores nostros animarumque moderatores, eximie doctos cuperet; ac metuebatur P. Martino Laternæ, in aulico illo strepitu fati otii non fuisset ad eam eruditionem comparandam, qua bonæ conciones & sana consilia niti debent. Missionem ab aula demum ipsi dedit Stephani Regis obitus*; vacationem à pristinis laboribus non dedit. Auxere illos tum expeditiones evangelicæ variis ab eo susceptæ locis; præsertim Drohobicæ, ubi cum moribus catholicorum, & schismaticorum erroribus, optanda victis bella gessit: tum vero conciones, quas habuit in æde Professorum Cracoviæ, eo successu qui viros insigni præditos sanctimoniam & eruditione decet. Cum autem per id tempus Cracoviam invasisset pestilentia, ceteris Patribus migrare aliò magnam partem iussit, ipse ut remaneret impetravit, opem civitati allaturus; aut vitam saltem in præclaro discrimine positurus. Hujus ultimi voti compotem se futurum speravit statim ictus pestilenti telo. Sed illo paucos intra dies excusso, doluit irritam spem: eò tamen solatio recreatus, quòd prorogatum sibi vitam putaret, ut multis morientibus prodesset. Itaque recenti, quòd vix effugerat, periculo minimè territus; rediit in arenam, in eaque tandiu perstitit, donec satiata cædibus pestis urbem metu periculoque liberavit. Illum deinde Leopolitana Societatis sedes primum habuit rectorem sex annis, quibus ita succendit civium animos studio pietatis, ut assignandi singulis partibus civitatis dies certj fuerint, ne omnes turmatim in templum, sacre confessionis causa, concurrerent. Id autem est affectus & ardore dicendi, & insigni libello, in quo preces catholicis ad placandum Deum, & argumenta rationesque, ad refutandos hæreticos, proponebat. Sexies decies hoc opusculum editum constat. His instantem P. Bernardinus Confalonarius, provinciæ Polonicæ præpositus, Gedanum ire statim jubet, ac Sigismundum III. Regem Poloniæ in bello, quòd contra Carolum Sudermannum, ut præmonuimus, adornabat, comitari, eique à sacris esse concionibus, quas obire P. Petrus Skarga per valetudinem non poterat. Verum insolentiâ itineris maritimi, & Sueco cælo, sic afflictâ ejus valetudo brevi fuit, ut conclamatum salutem medici affirmaverint, nisi protinus in Poloniam reportaretur. Itaque, non sine regis dolore, navem quæ Gedanum vela faciebat, conscendit III. Kal. Octobr. MDXCVIII.

* Anno 1586.

40.

Ejus necis occasio, circumstantiæ, gloria prodigio testata.

* Die 30. Septemb. an. ætat. 45.

Mare Balticum incurfabat classis ejusdem Caroli, Ducis Sudermannia. Polonicam navem ut aspexit, incitato ad eam cursu fertur, circumfistit, & pugnat. Quosdam è vectorebus Polonos hæretici milites ferocius invadunt, spoliantque: addunt contumelias in catholicam Ecclesiam & Romanum Pontificem. Non tulit impiorum dicta sacrilega P. Martinus: elata voce sceleratos increpat, exprobrat hæresim, perduellionem detestatur: inde ad catholicos conversus, hortatur ut æquo & forti animo sustineant quidquid ab improborum furore damni, vel injuriæ, inferetur. Ea dicendi libertas illi morte stetit. In unum coorti omnes, maledictis, pugnis, calcibus, telis, sæviunt: neque hoc satis, vestem detrahunt, colligant manus, detrudunt in scapham, in mare præcipitant*, multo prius vulnere, ne natando evaderet, debilitatum. Ad hunc modum poenas a Religionis odio laudatore ac vindice repetierunt; ut nemini venerit in dubium, quin odium catholicæ veritatis unica inferendæ necis causa exstiterit; idque adeo fuit signi, quòd Polonis qui eadem vehebantur navi, pepercissent nefarii percussores, à quibus profecto cruentas non abstinuissent manus, si Polonum duntaxat nomen in P. Martino fuissent infectati. Neque censuerunt aliter oculati testes infandæ cædis; idque ipsum palam prædicavit Leopolitanus Archiepiscopus, à quo est Pater funebri laudatione cohonestatus. Non defuere quoque divini documenta suffragii: unum subijcio vulgatum Romæ excusumque typis, cum Superiorum appro-

approbatione ac permisso. Laurentius Biencowski, nobilis Polonus, comes Patri Laternæ iverat in Sueciam, Anno deinde MDCII. dum in Podolia, quam pererrabant Tartari, militaret, ab iis captus & abductus est in servitum. Ne fugam autem capesseret, manibus post tergum revinctis, noctu suspendebatur è tigillo supra ingentem foveam in transversum ducto. Dum sic pendéret VI. Idus Jun. opem divinam vehementius implorabat, cum ecce videt hominem serenâ luce circumfusum accedere, quadrijuco curru candido vehentem: qui cum se P. Martinum Laternam esse dixisset, vinculis exsoluit, & monitum ut Romam ad Apostolorum sacra limina pergeret, in campo ad Leopolum totis inde quinquaginta passuum millibus disjuncto, constituit. Laurentius aliquandiu hæsit, addubitans num hæc verè fierent, an grato somnii fallacis errore luderetur: donec illuxit, seque redditum sibi ac patriæ, vinculis ante pedes jacentibus, agnovit. Romam deinde, ut jussus erat, profectus rem totam P. Matthæo Pafosto Polono, uni è præpositis Apostolice sacre pœnitentiæ foro Patribus, aliisque plurimis, interposito jurejurando confirmavit. Non absimile portentum in vita S. Georgii Martyris Annales Ecclesiastici commemorant: & alia quædam de P. Laterna referuntur, quæ huic miraculo non difficile fidem adstruant.

Facere non possum (quoniam Sueciæ mentio incidit) quin scriptorem * inter Gallos non obscurum mirer, dum narrat Sigismundum Poloniæ & Sueciæ regem, per idem tempus habuisse in animo constare Holmiæ senatum è quadraginta Societatis hominibus. Illos navim conscendisse, ut eo consilio in Sueciam transmitterent: sed à Carolo Sudermannia Duce interceptos, & cum ipsa navi omnes ad unum demersos, periisse. Id unde scriptor ille hauserit non video. Nulla enim istius senatus vestigia in historiæ nostræ monumentis exstant. Deinde cujus prudentiæ, quæso, fuit, cum bello arderent omnia; cum ad hæresim, perduellionem, & apertam vim, Sueciæ spectaret, senatum è Jesuitis constatum summæ rei præficere? Quænam hujusmodi curiæ partes fuissent? quæ munia? Tutandæ religionis? Jam per Lutheranos everfa prope conciderat: publicæ rei administrandæ? regni gubernaculum Carolus Sudermannus invaserat. Hujus fabulæ cum exitum non inveniret scriptor facetus, omnes istos senatores in mare demersit.

Interim Carolus Sudermannus bellum crudeliter, ut mos hæreticis, exercebat. Expositis in Livoniam copiis, ejusque parte occupata, imminabat Torpato, urbi parum munitæ. Quam cum viderent Socii non esse resistendo, neque integrum quidquam ac tutum ab hostium armis fore, cedendum necessitati putaverunt, relictis nihilominus ad cives juvandos ternis sacerdotibus, cum rei familiaris adjutoribus quatuor. Ita, uti præviderant, accidit. Omnibus circumlocis, quæ perruptis, quæ in deditionem acceptis, Carolus victorem exercitum civitati admovent: expugnatam objicit militi, prædam ac cades anhelanti. Ipse furore inflammatus pergit ad collegium. Socios aris advolutos, & in omnem paratos aulam nactus, probris & contumeliis obruit; in Romanam ecclesiam, in Summum Pontificem debacchatur. Hoc vero minime ferendum ratus unus è nostris non siluit in Ecclesiæ causa defendenda, qui siluerat in sua. Miratus hominis orationem constantiæ & veritatis plenam Carolus, obstupuit, nec dubitavit dicere neminem adhuc sibi oblatum, qui tam fidenter ac generose secum loqueretur. Et sanè paucos reperias qui viris principibus verum dicere velint; pauciores, qui ausint. Libertate religiosa mitigatus, paulum de ferocia remisit, & ingentis beneficii loco visus est annuere Patribus ut viverent: collegium Christophoro Sommerio, copiarum ductori, donavit. Ille à sacris vasis exorsus, ea latebris refoffa sustulit, ceteram suppellectilem, libros, vestes, lectos, annonam diripuit; cumque necdum his avaram expleret sitim, venit in spem thesauri alijus eruendi, quem abditum domi nostræ jactabant. Torti fuere Patres, ut indicarent; colaphis ac verberibus affecti, fame cruciati. Addidit cruciatibus ignominiam. Duos, ritu militari, tubulis ferreis instructos, & productos in publicum, per ora fecis hæreticæ, ac popelli ludibria, circumduxit: alios equis impositos Symbolum Apostolicum recitare vicatim coegit, multitudine fannis, cœno, faxis prosequente. Sex mensibus ejusmodi spectaculum, Deo Superisque spectatoribus

* Vide P. Philippum Alegab. in Paralipent. pag. 709.

* Le Duc de Rohan: Intereffes des Princes &c. Edit. 2. Col. 1670. p. 124.

41. Socii quatuor ærumnis per hæreticos illatis confecti.

non indignum egregii actores Derpati præbuerunt: unde Revaliam, mox in Finlandiam, ac demum Holmiam, urbem Sueciæ primariam, deportati, ubique Fidem catholicam & religionem, tanquam in triumpho, illustribus opprobriis & ærumnis nobilitati, circumtulerunt. Eam sua nece quatuor ex iis testati sunt, contracta in vinculis peste; P. Christophorus Spotecus, Polonus & sacerdos: tres alii rei familiaris adjutores, Joannes Estus, Polonus; Lithuani duo, Matthias Vitriarius, & Nicolaus Mercator. Supererant è luctuosa collegii Derpatensis clade Socii tres, quorum patientia & religio variis per triennium tentata & probata carceribus, cruciatibus, & ludibriis est. Libertate donati demum sunt, anno MDCV. urgente captivorum permutationem Caroli Sudermanni filio, qui captus in Polonia tenebatur.

42.
Amiffa statio
Societatis in
Suecia.

* Vide an. 1577.
1579. 1583.

43.
Eucharistiæ ve-
ritas miraculo
demonstrata.

Ad hunc modum Sueci Societatem extra ipsos quoque Sueciæ fines vexabant. Nam eandem ex ipsa Suecia pridem exegerant, ut annis superioribus * expositum. Sedem nihilominus exiguam retinuit Holmiæ usque ad annum MDXCI. cui P. Humbertus Leenius præerat, rem catholicam utrumque sustentans. Hæc statio morte Leenii penitus eodem anno concidit, summa hæreticorum voluptate. Sed cum iidem cernerent plerosque adolescentes Brunsbergam, urbem Prusiciæ Regalis, studiorum causa consuere, vetuerunt anno MDCV. poenis gravissimis constitutis, ne quis liberos suos ad Brunsburgensæ Societatis collegium abire pateretur: qui vero litteris ibi darent operam, certa die domum repetere iussi sunt. Illorum impietatem insigni prodigio Deus coarguit, simulque Brunsbergensium Fidem confirmavit. Fulmen tonante cælo demissum horribili fragore, flammam exitiumque diffuderat per ingens Brunsbergæ suburbium, ubi frequentes mercatorum apothecæ, ac totum, sparso quatuor locis incendio, consumperat: imminabat clades alteri suburbio, atque adeo civitati universæ. Ventus cum igne conspirans conatum omnem civium & industriam vicerat. Trepidum ad collegium accurrunt. Desertur à nostro sacerdote, inter populi lamentabiles planctus, Sanctissima Eucharistia in proximum flumini vicum, qui ardere ceperat: furentibus flammis Divinum propugnaculum objicitur. Ventus momento cursum mutat, & in adversam partem se rejicit. Erupit clamor gratulantium & mirantium; reducit a plaudente populo sospitalis Christus. Vix templo illatus erat, ingravescit tempestas, crebrescit ventus, augetur periculum. Rediit cum cælesti ferculo sacerdos. Tum ventus, velut objurgatus, blando murmure se composuit; utque culpam deleret, collegit nubes, & incendium quod aluerat, effusâ statim pluvîâ restinxit. Non minus splendide Christus eodem anno MDCV. de perduellium armis in campo, quam de impietate in cælestis mysterii prodigio, triumphavit. Carolus Sudermannia Dux copias ingentes navibus deduxerat in Livoniam, spe totius provinciæ Polonis eripiendæ: ac Rigam, regionis caput, multis militum millibus ineunte Septembri cinxerat. Poloni divina magis ope, quam numero suo, freti ad Rigam castra metantur, obsidentes saltem vexaturi. At Carolus contempta hostium paucitate, totum exercitum sub noctem castris ipsorum admovet. Atrox pugna conferitur VI. Kal. Octobr. Superbus hostis intra unius horæ spatium conjicitur in fugam. Decem millia per agros late caesa jacuerunt, vix tria millia cum Duce perduelli nox & fuga subduxere victoribus, quorum quinquaginta duntaxat in acie cecidisse perhibentur. Præcipua lætitiæ pars ad collegium Rigensæ pertinuit; quod Carolus, hæreticos qui erant in civitate ad deditionem invitans, ipsis donaturum promiserat. Fecissetque, nisi consilia scelerata Deus ultor disturbasset.

S. VI.
DOCTRINA SO-
CIIETATIS VEXA-
TA.

Hæc ferè sunt graviora pericula & detrimenta hisce postremis Aquavivæ annis illata famæ, domicilliis, & hominibus Societatis in aliquot Europæ locis (nam de aliis Orbis terrarum partibus postea dicendum erit.) Superest unum caput momenti non minoris; in quo tametsi Societas multorum telis appetita difficillimum certamen sustinuerit, quia tamen plus altercationis & fragoris habet, quam historica pax & gravitas vulgo ferat, illud strictim & quasi prætereuntes attingemus. Doctrinæ integritatem dico, quæ ipsâ prope carior vitâ catholicis esse debet, præsertim iis, quibus docendi partes impositæ sunt. Id in-
causa

causa fuit cur impensus eam tueri Societas nostra laboraverit. Decertatum est acriter in Belgio, anno MDXCI. cum doctoribus aliquot Lovaniensibus, qui favebant investæ per Michaelem Baium novitati. Docebat ille Lovanii anno MDLX. Ejus discipuli nullam Christi gratiam non efficacem per se ipsam tradebant esse. Hinc efficiebant, eos qui Dei mandata violant, licet non potuerint illa observare, quippe auxilio ad id necessario destituti, peccare tamen, quia, ob culpam in Adamo contractam, in istum inexcusabilis infirmitatis statum inciderunt: contra vero, justos efficacibus præventos auxiliis, licet ita obediant legi, ut omnino nequeant non obedire, præmium tamen aeternum promereri, & libere agere, quia sponte agunt, ac voluntariè, licet antecedenti necessitate confictos: quippe nullam in hoc statu esse libertatem, nisi quæ opponitur coactioni. Rursum, cum gratia medicinalis & efficax, præsertim perseverantia in bono, fructus sit mortis Christi, inde colligebant, cum sanè pro illis, qui perseverant, & gloria donantur, mortem obiisse: at eundem pro aliis, qui gloria excidunt, quosque sufficientibus ad eam consequendam carere censebant auxiliis, nequaquam esse mortuum. Hæc præcipua sunt Baiana doctrinæ capita, quæ subinde aucta, & interpolata, patronos nata sunt illustriores. Inde virus manavit in academiam Lovaniensem & aliquot ejus doctores afflavit. Alii contra catholica veritatis in eadem academia defensores Baium ejusque discipulos insectari non cessabant, ipsisque germanam cum Luthero & Calvino affinitatem objectare. Baiani vicissim illos Pelagianismi damnabant. Hinc assidua & molesta in scholis theologicis lites, è quibus cum impendere mali plurimum cerneret senior ejusdem academiam Lovaniensis pars & sanior, dedit operam ut à Sorbonicis Lutetiaë doctoribus anno MDLX. octodecim capita doctrinæ Baii confingerentur*. Censuram hanc Baius contempfit, ac pristina dogmata venditare coepit ambitiosius, & libellis etiam editis vulgare. Id cum Romæ auditum fuisset, Pius Quintus anno MDLXVII. assertiones quasdam theologicas condemnavit. Eas Baius pro suis non obscure agnoscens, etsi auctore ipsarum tacebantur in Pontificia Constitutione, scribit ad Pontificem, ineunte Januario anni MDLXIX. & queritur se falso crimine accusatum: sanctos Ecclesiæ catholicæ doctores eadem secum affectos videri censura: sibi tamen certum esse sententia Pontificis arbitrioque stare. Quarto post mense rescribit Pontifex omnia diligenter à se cognita & examinata fuisse: vetat ejusmodi assertiones defendi, aut in disputationem vocari; & ad obsequium hortatur. Silent inter arma leges, etiam sacræ. Itaque Lovanii promulgata Pontificis censura XVI. Kal. Decemb. anno MDLXX. cum Belgium armis circumsonaret, à Baii gregalibus audita non est: eamque nova Constitutione coactus fuit postea confirmare Gregorius XIII. à quo etiam missus Lovanium* Franciscus Toletus, è Societate Jesu, sacra deinde ornatus purpura, eò Baium perduxit ut in frequenti academia profiteretur *Damnari in Bulla multos articulos, qui suis libris continebantur etiam in eo sensu, quo in Bulla damnabantur. Eos & reliquos ibi comprehensus à se damnari secundum Bulla ipsius intentionem.* Triduo post misit Romam hujus sui facti declarationem ritè perscriptam, & suo nomine obfignatam*. Ambas porro Constitutiones Pontificias Lovaniensis academia unanimi consensu subscripsit, & adstricti jurejurando singuli doctores sanctè confirmant se nihil ejusmodi unquam tradituros.

Quemadmodum labi & errare turpe est, sic error omnis non sine molestia recantatur. Societatis doctores non æquis exinde oculis Baius aspiciebat. Belarminus, cum paulo ante Lovanii doceret theologiam, refutare illius opiniones consueverat: hoc ipsum factitare pergebant hinc Lessius, qui successerat Belarmino; inde Hamelius, theologiæ professor è nostris alter. Utrique faciebat animos Pontificia Constitutio; cujus facta mentio superius*; & quam auctoribus potissimum theologis Societatis editam Baius existimans, statuit parem illis gratiam referre. Igitur ex eorum scriptis, ac Lessii maxime disputationibus, excepit aliquot propositiones, quæ novitatis accusari posse videbantur. Eas, uti contrarias Divo Augustino, & Pelagianis ac Massiliensibus amicas, edito scripto condemnat. Non segniter Lessius pro se respondit, & adversarios frustra sæpe

Partis V. Hist. Soc. Iesu Tom. II.

L 1

oratos

44. Baii & ejus discipulorum errores præcipui. Quando & à quibus condemnati.

* Refert hanc censuram Petavius, Tomo III. theologicorum Dogmatum sub finem libri V. de Opificio sex dierum.

* Anno 1580.

* Nam habes ad calcem hujus Libri.

* Num. 44.

oratos ut hoc dissidium amicè componeretur, semel iterumque strenuè retudit, Appellant Pontificem, supremum nempe doctrinæ catholicæ iudicem, Sixtum V. qui Societatem non nimis amplecti credebatur. Sixtus, inspecta Lessii doctrinâ, dixisse in Cardinalium cœtu fertur, eandem à se, cum olim theologiam doceret, traditam fuisse: sanam certe videri, & censuræ immunem. Itaque suo per Belgium Nuncio, Octavio Frangipanio, Episcopo Calatino, mandatum dat ut de tota re cognoscat, ejusque decisionem Pontifici reseruet. Frangipanius edictum promulgat Lovanii VI. Id. Quintil. anno MDLXXXVIII. In eo pauca præfatus de ortis Lovanii controversiis, *super quibusdam sana doctrinâ* (non sacra, ut quidam contra autographi fidem scripserunt) *articulis*, vetat pro data sibi potestate, ne quis assertiones controversas *ausu temerario, hereticas, suspectas, offensivas, & periculosas esse pronunciet*. Perculit ea declaratio Baianos, Eorum mærorem ipsius Bani mors cumulavit anno MDLXXXIX. consecuta. Cum in omnem tamen oppugnandæ Societatis doctrinæ occasionem imminerent, seque id, vivo Sixto V. assequi posse diffiderent, arbitrati sunt, novo Pontifice creato, idoneum anno MDXCI. tempus affulxisse belli renovandi, non quidem Lovanii, ubi recens Frangipanii edictum in mentibus hominum & manibus adhuc erat; verum Duaci, ubi palam non fuerat promulgatum, & ubi multos habebant suis addictos partibus, ac præ ceteris Balduinum Rythovium, doctorem theologum.

45,
Baiani Duacenam
academiâ commovent
in professores So-
cietatis.

Docebat sacram scientiam in collegio Aquicinctino, (id nomen est collegio Societatis Duacensi) Joannes Deckerius noster. Ejus doctrinam, utpote Lessii scriptis consentaneam, in publico academiæ cœtu carpere palam cepit Rythovius. Defensionem permodestam suis auditoribus dicitur extemplo Deckerius. Hæc scripta præfatus Seminarii, quod Provinciale appellant, Rythovii familiaris, erepta Deckerii auditoribus publicè discerpit, convocatisque theologis academicis, graviter invehitur in magistros Societatis, & pro potestate interdicit ne quis auditor theologiæ collegium Aquicinctinum deinceps frequenter. Alii quidam professores convicia liberaliter adjecerunt. Iis alteram responsonem opposuit Deckerius, eamque tanto modestiorem, quanto veriolem. Ostendit alienam penitus à Pelagianorum aut Semipelagianorum erroribus esse Societatis doctrinam: eandem falso novitatis insimulari: denique Concilii Tridentini placitis & Pontificum duorum decretis recentibus consentire demonstravit.

Per idem tempus Duacum ex improvise convenerunt Joannes Venduillius, Episcopus Tornacensis; & Matthæus Moullartius, Episcopus Atrebatensis, cuius in diœcesi Duacum est: evocati ambo, ut apparet, à Baianis conantibus extorquere auctoritate ac metu, quod obtinere nequiverant ratione. Ac primò quidem significant antistites theologis Societatis, cupere se ut ista lis benigne dirimatur: utantur se arbitris ac sequestris. Accipiunt enimvero conditionem Patres; & gratias, uti decebat, magnas agunt. Atrebatensis Episcopi domum constituta die ventum est. Adfuerunt hinc rector collegii Joannes de la Haye Servius, cum Joanne Deckerio; inde Matthias Bossenius, Duacensis Universitatis Cancellarius, & alii academiæ proceres. Atrebatensis, ut nostro nos gladio vulneraret, profert è pertinentibus ad Societatis Institutum libellis unum, quem *Ordinem studiorum* appellamus. In eo legit regulam professorum theologiæ tertiam, qua præcipitur, *Ut nostri in opinionibus se conforment Universitatibus apud quas degunt*. Sane, retulit collegii rector, si nihil Universitates doceant quod aperte veritati, aut Fidei catholicæ repugnet. Instare præsul ut saltem ab his questionibus nostri abstinerent. Assensere Patres, modo par silentium academicis, quorum videbatur deterior causa, imponeretur. Scripsit in eandem sententiam Provincialis Oliverius Manareus, ad utrumque antistitem, negavitque hanc pacis legem admitti posse, ut sileremus, dum loquendi potestas adversariis tribuebatur: ex æquitate sapientissimorum antistitem non esse, ut exulare Duaco doctrinam paterentur, quam ulla deteriore affici nota Summus Pontifex nuperrimè vetuisset. Itaque non aliam relinqui viam concordiæ, quàm ut vel utrique parti silentium imponeretur, vel utrique maneret loquendi docendique libertas, adempta facultate pejorem notam contrariæ doctrinæ inurendi. Scripsit idem Manareus

nareus ad Socios Duacenses ut, secundum Apostolici Nuncii edictum, docerent pristino more pergerent; alienam doctrinam ne condemnarent. Id sancte observatum à nostris; non item ab academicis, qui graviores quotidie turbas ciebant. Eas ut compesceret Manareus, operam dedit ut Apostolici Nuncii mandatum * Lovanii editum, palam quoque Duaci promulgaretur, quod nonnullorum operâ factum non fuerat. Delatæ sunt Duacum à sanctiore Belgii senatu litteræ, quibus id planè imperabatur. Morem sanè gesserunt Duacenses; sed obscure ac parcè: neque enim recitatum est mandatum in scholis, ut assolet, theologicis; neque in iis, ubi mos erat, locis propositum & affixum. Quod ubi rescivit Nuncius, missis ad rectorem academiæ litteris, id ut fieret quamprimum, præcepit: confecto super ea re novo decreto, quo declarat Duacenses non minus, quàm Lovanenses suo priori edicto anni MDLXXXVIII. obligari. Theologis Societatis, & academiæ Duacensæ, liberam docendi potestatem facit, servata utrimque Christiana caritate ac modestia: donec auctoritate Apostolica quæstiones exortæ definiantur. Mirum est quot in partes verterint se se Duacens, ut hoc edictum excuterent. Perstitit acriter in sententia Calatinus, eorumque *proterviam* incusans, morem omnino geri iussit. Obtemperatum est.

Hæc agitata cum Lovaniensibus Duacensique theologis doctrinæ contentio, dogma, ut loquuntur, spectat: altera sequenti anno cum parochis amplissimæ Belgarum urbis, quam Insulas, sive Lilam, vulgo vocant, suscepta pertinet ad disciplinam. Negabant satisfieri præcepto Ecclesiæ ab iis qui diebus festis ac Dominicis, solenni, quæ cantatur in parœciis, Missæ non interessent, quive peccata suo parochi, vel sacerdoti, quem is delegasset, non aperirent in Paschate. Si quis vero apud alios sacerdotes animum expiasset, iterandam confessionem prædicabant, quasi fuisset absolutio inanis & nulla. Quin etiam respuebant accedentes ad sacrum Poenitiæ tribunal, si anno superiori confessariis usi religiosi fuissent. Minabantur non obtemperantibus se sacrum ægrotis in supremo morbo Viaticum, mortuis honorem sepulturæ negaturos. Denique Atrebatensî antistiti persuaserant, itemque Cameracensî, nullos ut è sacris Mendicantium cœnobarum Ordinibus initiarent sacerdotio, approbarentve ad confessiones audiendas, nisi qui sponderent se Paschalibus feriis absolvendi potestate non usuros. Interim, cum ea res magnam perturbationem animis piorum afferret, Joannes Hayus Servius, antea rector Duacensî collegii, tunc in templo nostro concionator, iussus est a moderatoribus errorem ac metum populo demere. Quod ille modestissimè præstitit, id universè affirmans: *Qui religiosi Mendicantibus, aut Patribus Societatis confessi essent in Paschate, nequaquam angi debere, aut confessionem iterare; quippe qui Ecclesiæ præcepto satisfecissent.* Hæc ipsa verba, tam parca, tam ab omni cuiusquam offensione disjuncta, parochi seditiosa esse conclamarunt: Tum vero ille in hanc disputationem ingressus penitens, ea quæ dixerat, allatis auctoritatibus & argumentis, luculenter confirmavit. Irritati ejus oratione adversarii, sexdecim ex ea locos excerpunt mala fide, & ad Episcopum Atrebatensem confingendos deferunt. Ille Hayum evocat. Qui excerptos perperam locos questus, de tota re fidenter ac disertè proloquitur; Episcopo nihil objiciente, præter objurgationes, & pervulgatum canonem Concilii Lateranensis, *Omnis utriusque sexus*, quo jubentur omnes confiteri semel in anno proprio sacerdoti. Eo canone præcipi volebat, ut omnes parochi suo peccata confiterentur, quem his vocibus, *sacerdoti proprio*, designari contendebat. Cui Hayus: Quid ergo, præsul illustrissime, si Pontifici, si Episcopo, aut alterutrius vicario confessio facta sit, eritne apud parochum iteranda, ut præcepto satisfiat? Nihil respondente Atrebatensî, pergit Hayus, & ostendit, ea canonis voce, *proprio sacerdoti*, non modo parochum, sed Pontificem, Episcopum, eorumque vicarios, comprehendi; negari autem non posse quin vicariam à Pontifice ad id muneris potestatem accepissent, cum cœnobarum quibusdam aliis, Patres Societatis Jesu.

Quo erant hæc veriora & apertiora, eo majorem antistiti, & parochis, movère stomachum. Hi vociferantur sacerdotes Societatis vastitatem ubique & solitudinem efficere; ille, propositionibus Hayo attributis nigram inurit notam; ci-

46.
Apostolici Nuncii decreto controversia dirimitur.
* *Supra. n. 44.*

47.
Impacta Societati dica super Paschali confessione & comunione.

ves nonnullos, qui de annua confessione apud parochum facienda spondere noluerant, in carcerem abripit; senatum denique Artesiae interpellat. Senatus causa cognitionem, ut à se alienam, repudiavit. Ergo indicitur Concilium provincialium Episcoporum, utque Duacum conveniant, rogantur. Tornacensis Episcopus negavit se aditurum, quia parochorum causam non probaret: Audomarenensis, causas, cur non veniret, alias ex aliis finxit: Namurcenses, vacante Sede, ne vicarium quidem miserunt: Cameracensis Archiepiscopus, ut privilegia Societatis inspexit, amice componendam litem censuit. Instabat nihilominus Atrebatensis, ac juri scripto consuetudinem antiquam & contrariam opponebat; hoc unum restabat adversariis refugium. Ex eo facile dejecti sunt, collectis cœnobitarum sapientissimorum & antiquissimorum testimoniis, quibus declarabant oppositam in omnibus Belgii diœcesibus consuetudinem hæcenus viguisse. Hoc Torrentius Antuerpiensium; hoc Strienus Midelburgensium antistes; hoc Lovanienses, theologiæ ac juris utriusque doctores, & nominatim Henticus Cuyckius, Academiæ Cancellarius, & Mechliniensis Archiepiscopi Vicarius, confirmarunt. Quæ testimonia rite perscripta, Coloniam ad Nuncium Apostolicum, Octavium Frangipanium, tunc Tricaricensem Episcopum; deinde Romam, ad ipsum Pontificem sunt missa. Ac Nuncius quidem dato diplomate, XII. Calend. Decembris, *Auctoritate Apostolica districtè Episcopo Atrebatensi, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis Romani Pontificis arbitrio instigendis, nec non pastoribus omnibus oppidi Duacensis, aliisque quibuscumque illis adherentibus, inbibebat, ne populum, quocumque quæsto colore ab usu confessionis & auditionis Missæ apud dictos Patres, huc usque sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritate usurpata, averterent vel detererent, usque ad Pontificis ulteriorem declarationem. Denique eos qui usum illum habuerant, & etiamnum habebant, ab Ecclesiâ pœnis forsitan institutis ad cautelam absolvens, jubebat esse securos.*

At Pontifex, post maturam cum Cardinalibus deliberationem, ad suum Nuncium diploma, exeunte anno, misit, quod infra describemus*: simulque præfules Cameracensem & Atrebatensem de hoc suo diplomate fecit certiores, scriptis ad eos gravissimis litteris, quas Colonia, cum diplomate Pontificio, Nuncius accepit. Idem vehementer est offensus quorundam parochorum Duacensium factio, qui edictum ipsius Nuncii Apostolici reflexerant de templorum, ubi fuerat affixum, valvis. Litteras Pontificis Nuncius Apostolicus ad Henricum Cuyckium, Lovaniensis academiæ Decanum transmissit, præfibus quamprimum perferendas. Commotior Atrebatensis clam Bruxellas properavit, ut cum regio senatu coram exposlaret; sed ab eo nihil exorans, contrariam Belgii consuetudinem opponere perrexit, ac testimonia duo vel tria, reliquis præfibus & cœnobitis contra testantibus, corrogavit. Sed cum Pontifex iterum declarasset de illa consuetudine non constare, *Et quamvis constaret, unius alteriusve Ecclesiæ morem nequaquam Pontificio juri & consuetudini Ecclesiæ universalis in hac parte officere; objurgationesque acriter addidisset; tandem Atrebatensis acquievit. Hoc pacto dirempta lis demum fuit.*

Gravior longè ac difficilior existit controversia de Auxiliis divinæ gratiæ, inter PP. Dominicanos ac theologos Societatis Jesu, diu multumque agitata. Sed cum à paucis annis tot in lucem editi fuerint hoc de argumento libri, supervacaneum videtur molestam refricare litem*. Satis fuerit observare, Paulum V. quando congregationibus de Auxiliis finem imposuit, post examinata diligenter quæ in utramque partem allata fuerant, serio cavisse* *ne quis alteram partem, nempe doctrinam Societatis perinde ac Dominicanorum, qualificare, aut censurare præsumeret: ac proinde expressè mandavisse tum Predicatoribus, tum Jesuitis, severe ut animadverteteretur in quemvis, qui in hoc peccasse deprehenderetur; præcipisseque ut hoc suum mandatum sanctè servaretur.*

* Num. 49.

48.
Causa defertur
ad Summum
Pontificem; &
ab eo deciditur.* Addi poterit
ejus epitome ad
calcem hujus To-
mi.* Anno 1607,
mense Aug.

49. *Decretum Clementis VIII. de confessione Paschali facta Religiosis, missum Nuncio Apostolico in Belgium anno MDXCII.*

Venerabilis Frater: Salutem & Apostolicam Benedictionem. Significatum nobis fuit non sine gravi animi nostri dolore, nuper in oppido Duacensi, Atrebatensis diocesis, nonnullos parochos maximo cum fidelium scandalo, tum docendo, tum concionando, tum omnes reprehensionibus & censurarum Ecclesiasticarum comminationibus perterendo, Christi fideles avertere, ne festis diebus ad Ecclesias Fratrum Ordinum Mendicantium, atque collegii Societatis JESU, pro Missis audiendis accedere, & ne etiam Quadragesimali ac Paschali tempore Fratribus dictorum Ordinum ac presbyteris Societatis JESU peccata sua confiteri possent, ausos fuisse: affirmantes ipsis Christi fidelibus tam de jure, quam de consuetudine, prohibitum esse, in aliis, quam parochialibus Ecclesiis Missas festis diebus audiri; nec licere illis Quadragesimali & Paschali tempore aliis præterquam propriis parochis peccata sua confiteri: unde maximam in fidei populo exortam fuisse animorum perturbationem accipimus. Contra enim Fratres Ordinis Prædicatorum & Convœntualium, ac presbyteri Societatis, privilegiis Apostolicis suffulti, tum privatim tum publice, ac in concionibus, contrarium usum in Ecclesia Dei receptum & permissum, ac à SS. PP. Oecumenicisque Conciliis approbatum, defendere conati sunt. Rem autem eod. protractam esse intelleximus, ut graves inde dissensiones, inter dictos parochos & presbyteros Societatis JESU, subortæ fuerint. Quod autem nos gravissimè affect, illud in primis fuit, quod Venerabiles Fratres Archiepiscopus Cameracensis, & Episcopus Atrebatensis, inconsulta Sede Apostolica, negotium hoc in disceptationem, tum etiam in judicium fortassis apud secularè Curiam, deduxerunt. At nos, ne graviora exinde scandala suboriantur, paternè consulerè, & celeri remedio prospicere volentes, causam & causas hujusmodi, si quæ coram quocumque Judge introductæ, ac etiam instructæ reperiantur, ad nos harum serie advocantes, illasque penitus extinguentes, ac perpetuum desuper tum parochis, tum aliis prædictis, silentium imponentes, præsentì nostro Decreto sancimus, licere secularibus Christianis fidelibus universis liberè Missas diebus Dominicis, & aliis majoribus festis audire in Ecclesiis tam Fratrum Prædicatorum, quam aliorum Mendicantium, nec non etiam collegii Societatis JESU, juxta illorum privilegia, & antiquas consuetudines; dummodo id in contemptum Ecclesiarum parochialium non faciant: & tam dictis Fratribus Prædicatoribus, & presbyteris dictæ Societatis, quam aliis privilegiatis prædictis, quibus id à Sede Apostolica indultum est, idoneis tamen, & ab Ordinario approbatis, peccata sua, etiam Quadragesimali, & Paschali, & quovis alio tempore, confiteri licetè possent; dummodo tamen secularis Christi fideles Sacramentum Eucharistiæ die festo Paschatis Resurrectionis, in propria parochia ab eorum parochis fumant. Proinde tibi per præsentem committimus & mandamus, ut præsentis nostri Decretum prædictis Archiepiscopo Cameracensi & Atrebatensi notum facias, iisdemque auctoritate nostra Apostolica mandes, ut illud in prædicto oppido Duacensi, & ubicumque opus fuerit, publicari & observari faciant; utque parochos in eorum officio contineant, illosque ab avocatione populi ab Ecclesiis privilegiatorum, ac etiam à propositionibus, quibus tollitur libertas populi audiendi Mis-

sas in Ecclesiis privilegiatorum, supradictis diebus, ac confitendi peccata etiam in Paschate ipsis privilegiatis, abstinere faciant. Ipsis vero privilegiatis eadem auctoritate præcipias, ut in concionibus & catechismis populum ipsum, tum ad reverentiam parochorum, tum ad eorum Missas præsertim Dominicis & aliis solemnibus festis diebus audiendas, tum ad decimas, resque alias Ecclesiis debitas solvendas, frequenter moneant, & adhortentur. Ac denique omnem hujusmodi controversiam occasionem præcidere & tollere, & Christi fidelium animos ad unionem & quietem traducere cures; omniaque præmissa publicari, & aliis tibi bene visis penis, opportunisque omnibus juris & facti remediis adhibitis, mandes & facias: in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Volumus autem ut præsentium transumptis & impressis tuo sigillo ac Secretarii seu Notarii tui manu subsignatis indubia ubique fides adhiberi debeat. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die XXII. Decembr. MDXCII. Pontificatus nostri anno primo.

50. *Diploma Ordinum regni Bohemiæ in gratiam Societatis editum.*

Ad num. 16.

Nos, Henricus Mattheus Comes, & liber Baro Thurnensis, Melchi dominus, & Oschardorff, &c. in exercitu Bohemiæ legatus; Leonardus Colona, liber Baro Felsius, Engelbergi dominus, castrorum præfectus; Joannes junior de Buna, præfectus vigillum; & Guilelmus Ziakawetz militum tribunus primarius: Salvere plurimum, quicumque sunt has litteras lecturi, jubemus. Percrebuit non solum in Prageni civitate rumor, sed per malevolos etiam dissipatum est scriptum, contra Patres Societatis JESU Prage commorantes, quasi bellicum instrumentum, milites non paucos, in patriæ communis perniciem, collectos, & paratos, haberent. Ea nobis causa existit illorum collegii vestigandi, ac veritatem accurate indagandi: quod singulari diligentia factum à nobis ter fuit, per inspectos & exploratos fidei viros, è tribus regni Ordinibus, Baronum, Equitum, & civium, delectos, additis centurionibus. Ab iis totum collegium furtim, deorsum, perreptari, ac lustrari justissimus, ac ne vestigium quidem apparatus bellici repertum est: milites vero multo minus. Hinc aperte intelleximus hæc omnia contra memoratos Patres, ex odio conficta, & per summam iniquitatem, atque injuriam, ut iis invidia constaretur, in vulgus fuisse sparsa. Itaque cum à nobis diploma, testem innocentie suæ, postulaverint, iis denegare, pro eo quod impostum nobis est tuendæ veritatis munere, nec debuimus, nec volumus. Quapropter hisce litteris declaramus, & testamur, illos extra omnem hanc culpam esse, dissipatosque de ipsis sermones fictos esse, scripta commentitia, & à veritate prorsus aliena. Volumus præterea ut istarum litterarum exemplis, per publicum scribam descriptis, eadem atque autographo ipsi, fides habeatur. Illis porro ut major constet auctoritas, non solum nos supra nominati eas sigillo nostro & chirographo munivimus: sed supremorum regni admi-

administorum ac procerum pariter sigillis & chirographis firmandas curavimus, Datum Pragæ IX. Kal. Octobr. MDCXI.

51. *Michaelis Baii scriptum, quo suos errores agnoscit ac retractat.*

Ego Michael de Bay, Cancellarius Universitatis Lovaniensis, agnosco & profiteor me ex variis colloquiis & communicationibus, habitis cum R. P. D. Francisco Toletio, concionatore Sæ Sanctissimæ, & ad hanc rem specialiter misso, super diversis sententiis & propositionibus, jam olim à Sanctissimo D. N. Pio V. felic. record. sub data Calendarum Oct. an. MDLXVII, & nuper à Gregorio XIII.

moderno Pontifice Max. sub data IV. Kalend. Februar. MDLXXIX. iterato damnatis & prohibitis, ita motum, & eò perductum esse, ut planè mihi habeam persuasum earum omnium sententiarum damnationem atque prohibitionem jure meritoque, ac non nisi maturo judicio & diligentissima excusatione præmissis, factam atque decretam esse. Fateor insuper plurimas ex iisdem sententiis, in nonnullis libellis, a me olim, & ante emanatam Sedis Apostolicæ super iis censuram conscriptis, & in lucem editis contineri & defendi, etiam eo sensu, in quo reprobantur. Denique declaro me in præsentiarum ab iis omnibus recedere, & damnationi à S. Sede factæ acquiescere, neque posthac illas docere, assertere, aut defendere velle. Datum Lovanii die XXIV. Martij anno MDLXXX.

Michael de Bay,

